



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn


**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**


Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659


urn:nbn:de:hbz:466:1-39536







Th. 1384.



NOTÆ
IN NOTAS
WILLELMI WENDROCKII
Ad Ludovici Montaltii Litteras,
ET IN DISQUISITIONES
PAULI IRENÆI,
IN USTÆ
A BERNARDO STÜBROCKIO
VIENNENSI THEOLOGO.

Liber m'rij Hedinghoff ord: S. Benedicti



paderborna.

Coll. S. J.

COLONIÆ,
Apud JOANNEM BVSÆVM Bibliopolam.

M. DC. LIX.

Permissu Superiorum, & Approbatione Ordinarii.

*Esia
157. a.*

72

NOTA

IN NOTAS

WILLELMI WENDROCKII

Abbas Montis Litterarum


ET IN DISQUISITIONES

PAULI IRENAEI

IN USTAE

A BERNARDO STUBROCKIO

VIIENNENSIS THEOLOGO



COLONIAE

Apud JOANNEM BYSEVM Bibliopolam

M. DC. LIX.

Typis scriptorium. & a. p. d. b. n. s. o. r. d. i. n. a. r. i.



WILLELMO
WENDROCKIO
FAMILIARI SUO,
BERNARDUS STUBROCKIUS
SAPERE IN POSTERUM.

AVIDIS & famelicis oculis lucubr-
ationem tuam legi, Willelme
Wendrocki: quem Bajanæ, Janse-
nianæ, Sancygiranæ pseudologiæ
Baccalaureum veriùs dixerim, quàm Salis-
burgensem Theologum. Rarum opus tibi
gratulor: dignum sanè patellâ operculum,
numeris ferè omnibus absolutum: in quo sci-
licet ad maledicentiam, calumniam, frau-
dem, obstinatam in damnatâ hæresi pervi-
caciã, nihil prorsùs desideratur. Tria sunt
tamen, ut ingenuè moneam, quæ fortè im-
prudens omisisti. Primum est, quòd cum tuã
tuorumque incuriã, vel potiùs curã, innume-
ræ mendæ, & crassissimi errores in tuum Li-
brum irrepsent, nullam tamen, ut fieri so-
let, erratorum tabulam subnectere dignatus

es. Ego, ut hoc saltem labore te levem, & hoc levi officio mihi arctius obstringam, hanc provinciam ultrò suscepi. Sed quia propter immensam erratorum multitudinem, levioris operæ non fuit; rudiores synopsim præmitto, in quam palmaria congeffi: cràs alteram partem mittam: tu interim æqui bonique confule. Alterum, quod omnes Catholici in tuo libro desiderarunt, non minoris momenti esse videtur. Deest enim Doctorum, & eorum, quibus ex officio incumbit, Approbatio: nisi fortè huic incommodo satis lepidè occurrere voluisti, infertis Liberti Fromondi, & Cornelii Jansenii Approbationibus, * in gratiam libri damnati. Quid enim aliud damnatæ doctrinæ auctores approbarent? Est in hoc, quod tibi plurimum gratificer. Mitto enim Approbationem, non qualemcunque illam à conductitio quopiam Theologastro, vel corrupto venalique Vicario emendicatam, sed à Romano Pontifice ALEXANDRO VII. profectam, eamque geminam; quò major auctoritas Libro tuo concilietur: Constitutionem, scilicet, in quâ Quinque Propositiones, ut Jansenii, & in Jansenii sensu; & Decretum ejusdem ALEXANDRI, in quo præter Arnaldi ineptias, & Thomæ Angli blasphemias, famosæ illæ tui Montaltii Litteræ damnantur. Tertium denique

* Pag. 445.

nique est, quòd, cùm in duos Apologistas, qui Montaltii Litteras refutarunt, paulò vehementius invecus fueris; & alterum quidem, ut ignavum & tardum; alterum verò, ut insanum & furiosum traduxeris: ut quantum hic insaniat, ille hebescat, apud omnes constet; ad majorem tuorum convitiatorum confirmationem; & plenam fidem tibi faciendam, scriptum utriusque Latinitate donatum, cum aliquot aliis opusculis hinc atterere cogitaveram: ut, si quando ad secundam editionem venias, tergeminae hujus appendicis accessione, Liber tuus altero se auctior, majori pompâ prodeat. Sed ne tardius, quàm par sit, hæc tria officia persolvam; minimè procrastinandum ratus, primum & secundum statim exequor; tertio deindè, meo ac tuo commodo, satisfaciam. Cæterum mihi facile ignosces; si verbosiorum illam tui Montaltii loquelam, quam identidem mirabiliter extollis, minimè assequutus, polemicum, non calamistratum dicendi genus amplector. Id unum præsertim enitar, ut ea, quæ à me scribentur, probè intelligas: faciamque, ut verba rebus, non verò vicissim res verbis, & dictioni serviant. Eo mihi dumtaxat styli acumine opus esse duxi, quo tuos aculeos configerem; iis argumentorum nervis, quibus tua convitia castigare; eo

rationum pondere , quo vaniloquentiam
tuam obruerem : eum denique ordinem mi-
hi servandum præscripsi, quem in erratorum
syllabo Librorum auctores adhibere solent.
Lustrabo paginas , quarum censum infrà ad-
scribam : neque aliis opusculo huic meo di-
stinguendo titulis utar , quàm quibus lucu-
brationem tuam ipse partitus es. Sed ne diu-
tiùs in limine suspensum te detineam , pri-
mam Libri tui frontem protinùs aggrediar.
Priùs tamen , amabò , accuratè perlege , cu-
jus supra mentionem feci , geminam Litte-
rarum Ludovici Montaltii & Notarum tua-
rum Approbationem. Utramque præmit-
tendam duxi ; tum ob Summi Pontificis dig-
nitatem ; tum ne , quod ad honorem Libri
tui vel maximè facit, patiar à te diutiùs igno-
rari. Tu quoque in secundâ editione, quando
prodibit , Notis tuis , si placet , utramque
præfigito.



SANC-

SANCTISSIMI D. N.
ALEXANDRI
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ VII.

*Confirmatio, & Declaratio Constitutionis
Innocentii Papæ X. qua damnatæ sunt
quinque Propositiones excerptæ ex libro
Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis,
cui Titulus, Augustinus.*

ALEXANDER
EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam
benedictionem.*



AD Sanctam Beati Petri Sedem, & Univer-
sali Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divi-
næ Providentiæ dispositione, nullis nostris
suffragantibus meritis evecti, nihil No-
bis antiquius ex Muneris nostri debito esse duximus,
quàm ut Sanctæ Fidei nostræ, ac Sacrorum Dogma-
tum integritati tradita Nobis à Deo potestate oppor-
tunè consuleremus; ac licèt ea, quæ Apostolicis Con-

stitutio-

stitutionibus abundè fuerunt definita, novæ Decisio-
nis, sivè Declarationis accessione, nequaquam indi-
geant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis per-
turbatores illa in dubium revocare, vel subdolis inter-
pretationibus labefactare non verentur, ne morbus
iste latius divagetur, promptum Apostolicæ authori-
tatis remedium censuimus non esse differendum. Eman-
navit siquidem aliàs à fœl. rec. Innocentio Papa X.
Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & De-
finitio tenoris, qui sequitur, videlicet. Innocentius
Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christi fi-
delibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum
occasione impressionis libri, cui titulus Augustinus
Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus
opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, contro-
versia super quinque ex illis, complures Galliarum
Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem Propositio-
nes Nobis oblatas expendere, ac de unaquaque
earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.
Tenor verò præfatarum propositionum est prout se-
quitur. Prima. Aliqua Dei præcepta hominibus justis
volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas
habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis
Gratia, qua possibilia fiant. Secunda. Interiori Gra-
tiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia.
Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ
non requiritur in homine libertas à necessitate, sed
sufficit libertas à coactione. Quarta. Semipelagiani ad-
mittebant prævenientis Gratia interioris necessita-
tem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc
erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse,
cui posset humana voluntas resistere, vel obtempera-
re. Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro
omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut san-
guinem

Confirmatio, & Declaratio Constitut. Inuocentii X.

guinem fudisse. Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus tuto militare, & tanquam navis in tranquillo mari sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, secure navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit; Pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra, Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes, audivimus. Cum autem ab initio hujusmodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus; Postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant. temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam. Interiori Gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quar-

S. D. N. Alexandri Papa VII. Confirmatio,

Quartam. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratia interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit. impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinae pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsentis nostra Declaratione, & Definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, omninò coërceant, & compescant. Non intendentes tamen per hanc Declarationem, & Definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie. Kal. Junii. Pontificatus Nostri Anno Nono. Cùm autem, sicut accepimus,

non-

& Declaratio Constitut. Innocentii.

nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformident. Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, utpotè qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dùm adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congressibus interfuimus, in quibus Apostolica autoritate, eadem causa discussa est, eâ profectò diligentia, quâ major desiderari non posset, quamcumque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes; ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis Officii, ac matura deliberatione, præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus; & quinque illas Propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est, Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus, & definimus, ac uti tales, inustâ scilicèt eâdem singulis notâ, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum singillatim inuritur, iterùm damnamus, ac eundem librum sæpe dicti Cornelii Jansenii, cui titulus, Augustinus, omnesque alios tam manuscriptos, quam Typis editos, & si quos forsan in posterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii Doctrina, ut supra, damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur & astruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christifidelibus ne prædictam Doctrinam teneant, prædicent, doceant

ceant

S. D. N. *Alexand. Papæ VII. Confirmatio, & Declaratio.*
ceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur, publicè, vel privatim, palàm, vel occultè imprimant, sub pœnis, & censuris contra Hæreticos in jure expressis ipso facto, absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Patribus nostris Patriarchis, Primatibus Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem juxta præsentem nostram Determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coërceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Decimo septimo Kal. Novembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

I. CARD. PRODAT.

G. GVALTERIVS.

Visa de Curia P. Ciampinus.

In Nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini N. IESU CHRISTI millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Indictione nona Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus Secundo, Die verò septima mensis Novembris retrospectæ litteræ sub Plumbo expeditæ, affixæ fuerunt ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Petrum Paulum de Grassis Apostolicum Cursorem.

Pro Magistro Cursorum Jacobus Cornelius Cursor.

DE-

DECRETUM

SANCTISSIMI D. N.

ALEXANDRI

PAPÆ VII.

Feria v. Die 6. Septembris 1657.

In Congregatione generali Sanctæ Romane, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud Sanctam Mariam Majorem, coram Sanctiss. D. N. ALEXANDRO, Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in Vniuersa Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctiss. D. N. ALEXANDER Papa VII. præfenti Decreto prohibet, & damnat libros infrascriptos, eosque pro damnatis, & prohibitis haberi voluit sub pœnis, & censuris, in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis.

ELENCHUS LIBRORUM.

Decem & octo Epistolæ Gallico Idiome conscriptæ, quarum prior inscribitur.

Lettre écrite à un Provincial par un de ses amis sur le sujet des disputes presentes de la Sorbonne, de Paris ce 23. Janvier 1656. incipit: Monsieur nous estions bien abusez.

2. Seconde lettre, &c. de Paris ce 29. Janvier 1656. incipit: Monsieur, comme je fermois, &c.

3. Troisieme lettre, &c. de Paris ce 9. Fevrier 1656. incipit: Monsieur, je viens de recevoir, &c.

4. Qua-

Sanctiss. D. N. Alexandri Papæ VII.

4. Quatriesme lettre, &c. de Paris le 25. Fevrier 1656. incipit: Monsieur, il n'est rien tel, que, &c.
 5. Cinquiesme lettre, &c. de Paris le 20. Mars 1656. incipit: Monsieur, Voicy ce que je vous ay promis, &c.
 6. Sixiesme lettre de Paris ce 10. Avril 1656. incipit: Monsieur, Je vous ay dit, &c.
 7. Septiesme lettre, &c. de Paris ce 25. Avril 1656. incipit: Monsieur, Apres avoir appaisé, &c.
 8. Huitiesme lettre, &c. de Paris ce 28. May 1656. incipit: Monsieur, Vous ne pensiez pas, que personne, &c.
 9. Neuviesme lettre, &c. de Paris ce 3. Juillet 1656. incipit: Monsieur, Je ne vous feray pas plus, &c.
 10. Dixiesme lettre, &c. de Paris ce 2. Aoust 1656. incipit: Monsieur, Ce n'est pas encor icy, &c.
 11. Onzieme lettre escrite par l'Autheur des lettres au Provincial, aux Reverends Peres Jesuites, du 18. d'Aoust 1656. incipit: Mes Reverends Peres, J'ay veu les lettres, que vous, &c.
 12. Douzieme lettre, &c. du 9. Septembre 1656. incipit: Mes Reverends Peres, J'estois prest à vous escrire, &c.
 13. Trezieme lettre, &c. du 30. Septembre 1656. incipit: Mes Reverends Peres, je viens de voir vostre dernier escrit, &c.
 14. Quatorzieme lettre, &c. du 23. Octobre 1656. incipit: Mes Reverends Peres, si je n'avois que respondre, &c.
 15. Quinzieme lettre, &c. du 25. Novembre 1656. incipit: Mes Reverends Peres, Puisque vos impostures croissent, &c.
 16. Seiziesme lettre, &c. du 4. Decembre 1656. incipit: Mes Reverends Peres. Voicy la suite de vos calomnies.
 17. Dixseptieme lettre escrite par l'Autheur des lettres au Provincial, au Reverend P. Annat Jesuite, ce 23. Janvier 1657. incipit: Mon Reverend Pere, Vostre procedé m'avoit, &c.
 18. Dixhuitieme lettre au Reverend Pere Annat Jesuite, sur la Copie imprimée à Cologne le 24. Mars 1657. incipit: Mon Reverend Pere, Il y a long-temps que vous, &c.
- Lettre d'un Advocat au Parlement à un de ses Amis, touchant l'Inquisition, qu'on veut establir en France à l'occasion de la nouvelle Bulle du Pape Alexandre VII. à Paris le 1. Juin 1657. incipit: Vous croyez que toutes vos affaires, &c.
- Antonii Arnaldi Doctoris, & Socii Sorbonici, opera sequentia.
- Lettre de Monsieur Arnauld Docteur de Sorbonne à une personne de condition, sur ce, qui est arrivé depuis peu dans une des Paroisses de Paris, à un Seigneur de la Cour.

Secondes

Declaratio, & Confirmatio.

Seconde lettre de Monsieur Arnauld Docteur de Sorbonne à un Duc, & Pair de France, pour servir de réponse à plusieurs escrits, qui ont esté publiez contre sa premiere lettre, sur ce qui est arrivé à un Seigneur de la Cour dans une Paroisse de Paris.

Epistola, & scriptum ad Sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 6. Decembris anni 1655.

Epistola, & alter Apologeticus ad sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 17. Januarii anni 1656.

Epistola inscripta Viro sapientissimo Henrico Holdeno, sacrae Facultatis Parisiensis Doctori, incipiens: Ea temporum conditione, &c.

Vera S. Thomæ de gratia sufficiente, & efficaci doctrina dilucidè explanata.

Propositiones Theologicæ, de quibus hodie maximè disputatur clarissimè demonstratæ.

Tabulæ suffragiales de terminandis fidei litibus ab Ecclesia Catholica fixæ. Authore Thoma Anglo ex Albiis East-Saxone.

Tesseræ *Ψευδοτύμωσ* Romanæ evulgatio, eodem authore, &c.

Et quia circumferuntur quædam folia impressa an. 1657. quorum titulus est, *Tredecim Theologorum ad examinandas quinque Propositiones ab Innocentio X. selectorum suffragia*, seu, ut appellant, *vota summo Pontifici scripto tradita*, Eadem Sanctitas Sua præsentis hoc Decreto illa prohibet, & declarat, ac decernit, iis tanquam apocryphis nullam fidem esse adhibendam, nec à quocumque allegari posse vel debere. Et præterea Epistolas, libellos, ac libros alios quoscumque, in quibus doctrina Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis in quinque Propositionibus per Constitutiones Innocentii Prædecessoris, & Sanctitatis Sux damnata, asseritur, aut quomodolibet approbatur, vel defenditur; tam impressos, quàm imprimendos quocumque idiomate, vel quomodolibet etiam in scriptis evulgatos, vel in futurum evulgandos, Sanctitas Sua omninò damnat, & prohibet, ac damnatos, & prohibitos esse voluit, mandans, ut nemo cujuscumque gradus, & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissima nota dignus libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retinere, legere, aut imprimere, aut imprimi curare audeat, sub pœnis, & censuris contra hujusmodi delinquentes statutis, sed statim quicumque illos habent, vel in futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus sub iisdem pœnis exhibere teneantur.

Insuper cum hac occasione, & prætextu in lucem prodeant plures libri continentes, & tractantes materiam de Auxiliis, nulla propterea petita, vel obtenta licentia, ab hac Sacra Congregatione, contra

SS. D. N. Alexand. Papæ VII. Confirmatio, & Declaratio.
trâ formam Decretorum Pauli V. & Urbani VIII. prædecessorum
suorum, (quæ quatenus opus sit, Sanctitas Sua denuò confirmat,
innovat, & inviolabiliter observari mandat, sub censuris & pœnis
in eisdem contentis) ideò illis inhærendo, dictos libros editos, & in
futurum quomodolibet edendos, absque eo quod fiat de illis spe-
cialis mentio, ipso facto & absque alia declaratione pro expressè
prohibitis haberi voluit, & decrevit.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Not.

Anno à Nativitate D. N. JESV Christi millesimo sexcentesimo
quinguesimo septimo, Indictione decima, die verò decimaquin-
ta mensis Septembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.
N. D. Alexandri, Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus Tertio,
supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basi-
licarum S. Joan. Lateranens. & S. Petri de Vrbe, nec non ad Valvas
Palatii Sac. Inquisitionis, Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Cam-
pi Floræ, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam ejusdem
Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

His attentè, ut rogaveram, perlectis, quid censes Willel-
me? num assentiris? nõnne utraq; Approbatio placet?
Brevi fortè tertia accedet. Nam intelligo Librum tuum, uti
etiam Apologia Theologorum Moralium, jam pridem S. Sedis
judicio subjectum esse. Nullus dubito, quin Tuus in Catalogum
Librorum prohibitorum referendus sit: fortè etiam alter, quòd
sine nomine Auçtoris, nec non sine Approbatione Superiorum
prodierit. Si quid prætereà in eo damnetur, satis scio, fore, ut
Auçtor illius, caterique verè Catholici, eà, quâ par est, ani-
mi demissione, statim annuant. At si nihil prorsus in eo singilla-
tim configatur, sed prohibeatur generatim: nemo sapiens ne-
get, eo dumtaxat nomine prohibitum fuisse, quòd contra Re-
gulas à Concilio Tridentino præscriptas editus sit. Sed jam tem-
pus est, ut destinato operi manum admoveam.

FRONS



FRONS

LIBRI.

Ludovici Montaltii *Litteræ Provinciales*. Auctorem appellas *Litterarum Provincialium*: ad Provinciale verius dixisses: error in limine infaustum præfagium est. Vix inito cursu, pede offendis: dum in cælum Montaltium extollis, fabulosum scilicet, ut eum cum Ursis, Draconibus & Scorpionibus colles; tu ipse in cænium devolveris. Nomen ad libitum fingis, tuoque Lectori imponis: sed fingendi affingendique artis peritissimis hominibus, qualem te esse reputo, hæc & majora licent. Omisisti alios honoris titulos, quos præfatus auctor jure ac merito sibi vindicat. Is enim est Princeps Jansenianæ factionis scriba, vulgatus Portus-regalis commentariensis, cujus anilia commenta tuis auxisti; famosus scurra & nobilis Histrio, immò strenuus scurrilitatis & dicacitatis Patronus ac propugnator. Ille igitur auctor est *Litterarum ad Provinciale*.

De Morali & Politica Jesuitarum Disciplina. Cur Jesuitarum potius, quam Theologorum alterius Ordinis? Quid enim de hoc argumento Jesuitæ scripserunt, quod aliis acceptum non referant? Sed cur Jansenium omisisti, cujus hæreses impunè docet? Cur Arnaldum, cujus causam agit ac errores liberè prædicat?

an illa, quæ habet de gratia sufficiente, quam explodit; deque illa, quæ ad non peccandum, imminente periculo, necessaria est, quam sæpè ac sæpiùs deesse fatetur; de proxima ad agendum potentia, quam risu & sibilis excipit; de inculcata ignorantia, quam culpa non liberare contendit, de autoritate Rom. Pontificis errare nescia, quam non agnoscit; an hæc, inquam, aliaque id genus ad Theologiam non pertinent? Cur ergo *Moralis* duntaxat mentionem fecisti?

Nomen tuum deinde subnectis, si tamen alicujus nomen est: *A Willelmo, inquis, Wendrockio Salisburgensi Theologo è Gallica in Latinam linguam translata & Theologicis notis illustrata.* Fingamus, demus esse nomen tuum, nec enim de nomine tecum disputo; licet hoc disputationis genus tibi tuisque Bajanis familiare sit: quos passim asseris, in causa quinque Propositionum, sacro tactarum fulmine, de nomine duntaxat & vocibus cum Catholicis disputare, de re verò ipsa cum iisdem convenire. Sic in Nominalium sectam adscriptus, sub Okami Principis hujus sectæ auspiciis, contra Romanum Pontificem alacriùs pugnabis. Nomen assumis Teutonicum; quod in germanum Batavi sectarii asseclam, haud prorsus ineptè quadrat: Theologi Salisburgensis lauream larvæ loco adhibes; sed lauro fictitia tectum grunnitus prodit, & hæc laurus fulmen non arcet. Litteras illas Montaltii latinitate donasti, quamvis alioquin ex Catholica Republica proscriptas: Theologicis notis & affectis elogiis illustrasti, quantumvis Decreto Pontificio, æternis tenebris addictas, & nigro theta notatas. *Theologicas notas scribis: Pseudologicas, Heterologicas scribere debuisti; Quibus, inquis, tum Jesuitarum adversus Montaltium criminationes repelluntur, tum præcipua Theologiæ Moralis capita, à novorum Casuistarum corruptelis*

ruptelis vindicantur. Montaltii crimina meliùs dixisses, quàm Jesuitarum criminationes; quem scilicet multorum criminum reum esse constat. Quod Theologiam Moralem vindicandam suscipias (evertendam ac destruendam dicere debueras) tibi tuique similibus probè consulis; cum illa tuos tuorumque mores non ferat: Hostem aggredieris, quam Judicem habere times: Theologis Moralibus, quos Casuistas vocas, morum corruptelam, per nefandam calumniam prudens affingis; ut vel inde eorum auctoritatem eleves (eò enim spectas) qui damnata Jansenii dogmata, fœtida Aurelii placita, proscripta Baii pronunciata, confixaque Arnaldi commenta, in doctrina morum & fidei, censuris suis notarunt. Editionis etiam locus mendo non caret; *Coloniæ*, inquis, *apud Nicolaum Schouten.* Scribe *Coloniæ Batavorum*, scilicet *Amsterodami.* Patriarchæ vestri Jansenii Patrium solum vobis placet. Titulum igitur sic emendatum lege.

Ludovici Montaltii insignis sycophantæ, & primarii Portus-regalis scribæ famosæ Litteræ ad Provinciam, pro causa Jansenii exarata, & à Wilhelmo Wendrockio ejusdem furfuris homine, Jansenianæ Pseudologiæ Baccalaureo, latinitate donatæ, & virulenta notarum eluvie fœdatæ, in quibus Jesuitis atroces calumniæ affinguntur, Jansenii errores propugnantur, Apostolicæ Constitutiones eluduntur, Catholica dogmata destruuntur, & adstruuntur hæretica, Amsterodami apud Heterodoxos fœderatos.



PRÆLOQUIUM

LIBRI.

Lectorem Catholicum statim initio compellas : dic , sodes , acatholicum . Hic tuum , non præli errorem agnosco : Loquela tua te prodit : nec enim Catholicos hic modus agendi decet , quorum (ut ais) *utilitati* , dic amabo , offensionem , quam scandalum vocant , famosas illas , seu fumosas (nempe finistrum fulmen fumum obduxit) litteras dicasti : quarum *atticum nitorem , pretium , eloquentiam , nominis & fama celebritatem , splendorem , ornatum , lepores , temperamentum* , tam impensè , ac putidè verbis exaggeras , ut conductus laudator esse videaris . Hac in parte , Sapientes Viri , ut mitissimè loquar , tuam prudentiam & modestiam desiderarunt . Haud aliter mutuò muli scabunt ; ignosce , tecum ago familiaris . Et verò mirum plerisque accidit , quod religioni minimè duxeris , libellos famosos tam multis scatentes erroribus , Pontificio Decreto damnatos , ex fumanti busto * per fraudem eductos , in aspectum lucemque hominum reducere , & effusis laudibus cumulare . Crede mihi , dum in cælum Montaltium efferre visus es , infano illum præconiorum ponderi penitus impari obruisti .

Quod verò ad illos spectat , qui Montaltii nugas egregiè refutarunt , & ab eo affectas diluerunt calumnias : misellos ita deprimis , ut alter , saltem te iudice , *ingratas , velut anser inter olores , nannias intercinat* ;

* Aquis Sextiis , Parlamenti decreto , Montaltii litteræ , in area publica , Tortoris manu , ultricibus flammis traditæ fuerunt . Anno 1657 . die 9 . Februar .

cinat; immans alter & truculentus, spumanti ore, turpe Clasticum intonet: sed hic insanus nobilissimis Parochis, ad quos ex officio spectat, in furorem à Dæmone actos solitis exorcismis curare; ille verò ignavus Therfites famoso Jansenianarum partium Achilli meritas pœnas dedit, & vilis victrice manu hostia cecidit. Hæc in utrumque paulò intemperantiùs. Jansenianos tuos illi haud leviter pupugerant: probris & convitiis doloris sensum demulcere, ac lenire conatus es. Subiratis hominibus aliquid condonandum. sed, quantumvis fremas & ringas, hic Anser Romano Capitolio cecinit, & clangore suo Vaticani Jovis fulmina elicuit, quibus larvati oloris caput perculsum meritò conflagravit. Ignavum tamen, tardum, segnem, hebetem vocas. At bilem Montaltio & stomachum movit; ad propriam defensionem iniquum aggressorem adegit: à ludicris ad seria, à jocis, ad minas, minarumque faces & irarum tædas, segnis ille ac frigidus homuncio, Achillem, Herculem vestrum traduxit. Quid rei sit, ingenuè dicam: vinci puduit & cadere causâ: probra & maledicta inustæ Montaltio notæ, turpi cicatrici turpius emplastrum obducis. Si opus esset, facile reponerem, nec sine scœnore; neque id singularis est industriæ. Quid enim facilius, quàm jactare probra? at effusa profusaque illa convitia unum te feriunt: & inusta cauterio Apostolico nota, aspersis elogiis, quibus paulò liberaliùs indulges, nunquam eluetur.

Quod alterum attinet, ad Ecclesiæ tribunal eum sistis. Cujus porrò Ecclesiæ? an Romanæ? minimè gentium. Nec enim vindicem habere speras, quam justum Judicem hæcenus sensisti: neimpè illa Jansenii, Sancygirani, Arnaldi, Montaltii errores confixit, sed conventiculum illud octo Parochorum subscrip-

torum (cui haud dubiè divinus Spiritus non præfuit; utinam humanus saltem præfuisset! Ecclesiæ loco habes. Hinc sub præloquii finem, nonnulla te, ex Parochorum scriptis excerpta, in tua Commentaria derivasse ingenuè mones. Cæterum, inquis, sparsæ ab Jesuitis *vocula* contra Montaltium illicò *suppressæ & suffocata* fuerunt, criminationes retusæ, dilutæ calumniæ. Hic revera thraſonem agis. Sed factis, non dictis standum est. Plagii crimen vobis impositum, quod scilicet hæreticorum loca & argumenta contra Jesuitas adhiberetis, repulsum est, inquis, in notis Epistolæ quintæ præambulis. Huc volo te, Willelme. Nemini enim dubium est, quin Jansenius vester libros hæreticorum compilarit, eamque rerum & locorum sylvam corraſerit, qua deindè infana Volumina confert: cujus plenissimam fidem Ricardus Theologus toti Orbi Christiano fecit. Accedit quod liber ille famosus, quem Theologiam Moralem Jesuitarum, nescio quis de grege inscripsit, ex centonibus Molinæi compactus fuit: ut vulgato scripto, adductis, collatisque locis, demonstratum est.

Quod demùm ad abigendam *afficta*, ut ais, *hereseos formidinem, & inane*, ut vocas, *terriculum*, 17. & 18. Epistolas accerſis; imprudentissimè facis, mi homo: cum ex iis potissimùm litteris Montaltii errores excerpti fuerint, & impius adversùs Sedem Apostolicam furor detectus. Falleris etiam Willelme, falleris, cum temerè asseris 18. Epistolam ab adversariis improbatam non fuisse. Immò illa præ ceteris improbata; & ad Sanctam Sedem delata; cum Rom. Pontificis auctoritatem pro definiendis controversiis, in Doctrina morum & fidei, ex professo, ut ajunt, impugnaret; quâ semel eversa tota res Catholica statim corrueret. Præ cæteris autem illud emenda, quod Jansenianam hæresim

resum *fictitiam* vocas, ne Pontificiæ Bullæ chimæras petant: item quod dicis, Montaltium has Latinas Epistolas ad se transmissas emendasse & approbasse; quamvis longè pejores sint Gallicis, quæ à Romano Pontifice damnatæ fuerunt. Montaltio malè consulis, quem testaris hæreticorum more approbare, quod Roma damnat. Sed de præloquio fatis: ad eam quæ proximè sequitur, admonitionem, gradum facio.

A D M O N I T I O

A D L E C T O R E M.

DE nonnullis te monitum velim, *Willelme*, quæ in admonitione tua ad lectorem, imprudens peccasti. Hoc loco Montaltii literas in compendium & brevem summam redigis; ut ejus criminationes, calumnia, errores sub unum aspectum cadant: & summa dumtaxat capita delibas. Primis Epistolis, inquis, Sorbonica contentio in nostri Arnaldi causa, breviter explicatur: tum gemina quæstio, juris scilicet & facti expenditur: gratia sufficiens exploditur: proxima ad agendum potentia proscribitur: Sorbona per jocum traducitur: Schola Thomistica deridetur: tum libertatem suffragiorum in eo confessu ereptam, & novam comitiorum formam inductam fuisse miserè deploras: ac proinde optimi Arnaldi defensores (Janfenianos intelligis) è comitiis recessisse, & irrita, quæ agerentur, fore denunciaffe: Sorbonam demum vacuam Molinistis relictam. Sed quibusnam quæso imponere statuisti? an Moschis, aut Tartaris? rectè, nempè hi quid rei sit, ignorant:

alioquin tuas theses ludibrio exponeres. Nam trita res est: antiqua forma servata, & modus compescendis tumultibus, quos Janseniani excitabant, dumtaxat adhibitus. Sic fortè Sorbonæ Censuram adversus Arnaldi doctrinam, & latum contra illos Decretum qui Censuræ subscribere recusarent, eludere putas? Sorbonam vacuum dicis; licet major & potior Doctorum pars doctrinæ Catholicæ partes sequeretur: & hos Molinistas vocas. Quid ad me? ipsi viderint.

At mirari fatis non possum, cur accepti recens à Sorbona beneficii penitus immemor, eandem Sorbonam acerrimis verborum aculeis immisericorditer perstringas, gratias immortales mortalium ingrattissime agere debueras, pro edita contra immanem illum (sic enim vocas) & furiosum Apologiam censura: probris tamen & maledictis eam foedissime proscindis. Tam ingrati animi labem quis ferat? quis nisi Jansenianarum partium homo admittat? Immo cum Decreti Pontificii, quo literæ vestræ damnantur, nonnulli ex temperantioribus in prædicta censura mentionem fieri postularent; illicò *De Breda*, insignis ille Parochus, unusque ex Ogdoade scriptorum, familiaris vester *intercessit*, ac ne id fieret, tandem obtinuit. Hæc aliaque id genus tibi latere non potuerunt. Cur igitur Sorbonam laceras? quæ te ac tuos immortalis beneficio sibi obstrinxit, Apostolico fulgure percussos recreavit, fabulam & scenam mutavit. Gratulari debueras: & probra jactas? in hoc tuam prudentiam & gratum animum desidero.

Mox scurrilem illum scribendi modum, quem Montaltiùs adhibuit, non modò approbas, sed valde commendas: insulsum illius dialogum describis & laudas,

laudas, in quo fictitium illum Jesuitam loquentem inducit. Fabulam dedit Montaltius: personatum actorem esse oportuit: insignem scurram & histriorem theatrum decet. Sed animum minimè advertis, quàm egregiè tibi contradicas; simplicem illum Jesuitam, stolidum & tantùm non pecudem initiò inducis: quis enim ludum illum tuum & artem, etiam hominum simplicissimus non intelligeret? tum deinde callidam illam rationem vocas, quâ cum sociis utitur ad insinuanda hominibus Societatis dogmata. Nisi hæc sibi invicem repugnent, nusquam erit repugnantia. Præterea totam moralem disciplinam ab eo descriptam & explicatam esse, non semel repetis, qui vix quinque, aut sex quæstiones attigerat: universam morum doctrinam ab eo exhaustam fuisse dicis, qui vix aliquot summa capita delibarat. Vel hanc rem imperitus non capis, vel potiùs per insignem malitiam ita exaggeras.

Tum elevas Jesuitarum scripta contra Montaltium; *imbelles adversarios* vocas: *Annatum* præ cæteris appellas, auctorem illum totâ Europâ celeberrimum, & *infirmissimam* ejus *scriptionem*, quam *Bonam Jansenistarum fidem* inscripsit, ita deprimis, ut luce indigna esse videatur. At siste parumper, mi homo; vix ad ea, quæ scribis, animum advertis. Annatus corrupta à Montaltio aliquot auctorum loca protulit, & fideliter exscripsit. Quæstio facti est. Annatus profert & confert depravata loca: ad pœnam libri, ut vulgò aiunt. Unum tamen, ne quid dissimulem, Annatus peccavit, scilicet in fronte Libelli, quem bonam, ut dixi, Jansenistarum fidem inscripsit, per ironiam quidem: longè tamen meliùs dixisset pessimam, corruptam, damnatam, vel uno verbo cæteris pari, *Jansenianam*. Sic aperto Marte cum tenebrionibus

nibus agendum, qui pugnant ex tenebris & latebris; & satis tutos se putant, si tectos.

At mi homo, mendacem, ut aiunt, memorem esse oportet. In præmissis Præloquio ut jam antè notavi, dixeras, in hisce Literis res morales tantummodò discuti: & hîc ultrò fateris, primam Epistolam esse de proxima ad agendum potentia, secundam de gratia sufficiente, quartam de actuali ut vocant, tertiam de Arnaldi propositionibus confixis, duas postremas de hæresi & Romani Pontificis auctoritate, nisi hæc sint Theologica, quid, amabo, Theologicum est? Dixeras etiam paullò antè, hæc ad quinque Jansenii propositiones non pertinere. Erras Wilhelme, erras: nisi enim adsit illud *posse* proximum, ut vocas, illa potestas implendi præceptum, quis neget esset impossibile? si nulla sit gratia sufficiens ab efficaci distincta, quis neget divinæ gratiæ nunquam resisti? si demùm illa, quam invincibilem & inculpam vocant, ignorantia à peccato immunem non reddit, quis neget eum peccare, qui necessariò peccat? & hæc ad damnatas propositiones non pertinent? Immò in duabus postremis Epistolis, Constitutionis Apostolicæ vim & robur eludere Montaltiùs, frustra licèt, conatur; & hæc ad Bullam non spectant? Ad ea, quæ blateras contra Jesuitarum scripta, nihil repono: ut major tibi fides habeatur, ea, ut jam ante addixi, propediem ad te mittam: non exscripta, sed typis mandata, & latinitate donata: ut saltem *imbelles & victi*, Jansenii triumphum adornent. Quæ deinde delibas de opinione probabili, de calumnia, de Homicidio, de Caramuele, infra suo loco discutiam; hæc enim ad nauseam, pro more, centies repetis.

Omittere tamen debueras Montaltii elogium, cu-
jus

jus eruditionem, Doctrinam, zelum, prudentiam, religionem, fidem in cælum evexisti. Qui tuis dictis fidem habeat, extra Jansenii gregem, nisi conducas, haud invenies: impium enim scurram, qui sacra prophanis miscuit, germanæ Theologiæ ignarum, maledicum impostorem, insignem scycophantam, compertum hæreticum, Sanctæ Sedi exosum caput, tot ac tantis laudibus ornasse, non modò imprudentiæ, sed extremæ impudentiæ fuit. Quæ citas ex Rothomagensi Epistola, non faciunt fidem: ut Calvinum defendas, Lutherum accerfis: calumniam probas nova calumnia, & Montaltio similem Patronum conducis; fallor, eundem Montaltium: nec enim gutta guttæ similior: ex eadem Portus-regalis officina hæc Epistola, inmodò & alia Parochorum scripta prodire, ut vel ex stylo constat. Quod certè si neges, aliòs quoque testes producam. Sed hac de re, nemo prudens, aut sciens dubitat.

Quis porrò modò sit rerum status, non aperis, sed dissimulas. Nempè illa Parochorum scripta, quæ impensè laudas, & in tuos usus convertis, ad sanctam Sedem delata fuerunt; non Archiepiscopi Senonensis, vel Convenarum Episcopi, aut Bellovacensis, sed Petri & Christi: ut de innumeris, quibus sciant, erroribus judicium ferat. Mechliniensem appellare non debueras; quid fæces versare juvat? omnes Jansenianæ doctrinæ Patronos efflictim amas & laudas.

Minus tamen ferendum, quod dicis, Litteras illas Ecclesiæ salutare fuisse; idque dubio procul, inquis, fortè ut illa suorum fulminum vim probaret. Sic Calvinus, Lutherus, Jansenius Ecclesiæ salutare fuere: sic pestis & lues orbi salutare. Vis revelem mysterium? Nonnulli Parochi, non divinæ gloriæ zelo,

zelo, sed proprii commodi & lucri studio ducti, ut fideles, presertim locupletiores à Jesuitis abstraherent, sibi que devincerent, Jesuitarum doctrinam mille infectam erroribus & Evangelio contrariam esse publicarunt; ut populis horrorem incuterent; & cum ipsi, nec cultiore sint doctrina, nec majore sanctimonia, potestatem decidendi controversias in doctrina morum & fidei, jure quodam successionis hæreditario, sibi arrogarunt. Quod quàm erroneum sit, omnes Catholici tenent. Sed tandem ad tuas notas accedo: nec enim Epistolarum errores castigandos suscepi, quod jam alii egregiè præstiterunt: notas duntaxat in notas scribam.

In primam Epistolam.

N O T A I.

PErridiculum est, quæ discant, omnibus mortalibus ignarum præcipere. Sic malim te risu & sibilis, quàm severiore modo excipere: malim te ignorantia, quàm malitia insimulare; quanquam utriusque partes egregiè sustines. Censuram Sorbonicam, Scholam Thomisticam, proximam illam agendi potestatem, *posse proximum*, ut vocas, pleno buccarum rictu, altoque cachinno, cum tuo Montaltio irrides; * vel indè ridiculus, quod de re tam seria, tam stultè rideas. Jesuitas & Thomistas ab re inter se committis. At vtrique in hac parte, cum aliis omnibus Catholicis probè conveniunt. Dividis, ut regnes: jurgia feminas, ut in Catholicorum discordiis Janse- niana hæresis altas radices agat. Sed frustra oculatis & piis hominibus apertas insidias struis. In hoc, ut
 * Pag. 10. dixi,

dixi, utrique conveniunt, quod quis, dum peccat, proximam non peccandi potestatem, seu proximum *posse* habeat: utrique oppositum, Arnaldi scilicet, errorem damnant. Arnaldus porrò non dixerat, ut sincerè, tuo more, narras, D. Petro gratiam efficacem defuisse: quis enim hoc neget? sed gratiam necessariam, ad hoc ut posset non peccare, si vellet; quod reverà omnes Catholici negant, & adducta Patrum loca, Catholicè, ut par est, explicant.

Nec Iesuitæ à Thomistis dissentiunt, quod hi velint, gratiam seu virtutem illam interiorem, *nunquam in actum prodire, nisi efficax sit*: quis Theologorum, quis mortalium hoc neget? seu quod illi proximam agendi potestatem homini adstruant, cum hic liberè agere omittit. In hoc, utrique conveniunt, *non ore tenuis*, ut dicis, sed re ipsa, ut damnatum errorem fugiant. Nisi enim proximum *posse* adsit ad non peccandum, Dei que præceptis obtemperandum, haud dubiè illa præcepta sunt impossibilia. Sed hic error solemniter anathemate jacet. *Commentum* igitur non fuit, quod scurra tuus, quem *festivum* Scriptorem appellas irrideat; sed dogma Catholicum, quod heterodoxi duntaxat rejiciunt. Neque hæc verba *barbara* sunt, & *nova*, ut dicis, sed omnino apposita, ut vestras & aliorum hæreticorum fraudes & fallacias Catholici Scriptores exagitent. Nec desunt in hanc rem, Patrum & Conciliorum loca: tu vide sis apud Auctores, qui contra Iansenium scripserunt; quorum egregiæ lucubrationes, ut gratissimam Catholicæ Doctrinæ lucem attulerunt, ita æternas errori Ianseniano tenebras offuderunt. * Perstringis denique putido sarcasmo, tum Sorbonam, tum potestatis proximæ *fabulam*, sic enim vocas. Sorbona ipsa viderit, quæ cum multos domesticos habeat, extraneos defensores non postulat.

* Pag. 11.

stulat.

stulat. *Fabulam* verò illam inter fidei dogmata repositam ægrè, immò ægerrimè tulisti: Arnaldi quoque placita damnata, non modò à Sorbona (cujus censuram eo loco non habes, quo vir prudens habere debet) sed ab ipsa Ecclesia. Et hæc dissimulas? Nec An-nati gratiæ quidquam datum est. Extat extabitque in posterum Decretum Apostolicum, & immortalis Arnaldi & Montaltii infamia. Errores utriusque uno eodemque Decretò configi, par erat; qui communi utriusque sensu, & unanimi voluntatum consensione fuerant publicati. Quod demum subnectis, non multò post, apud Patres Oratorii, eandem Arnaldi doctrinam palam defensam fuisse; quid ad me? quid ad Jesuitas? nemo nescit, Jansenianis partibus plurimos ex omni ferè hominum genere addictos esse; quo animo & fine, Deus scit. Sed est, quod nobilissimæ & doctissimæ familiæ hanc notam sibi à te inustam, vindicandam ultrò relinquam.

N O T A I I.

Reverendum Patrem Nicolai per summam impudentiam hoc loco sugillas: quem à Thomistarum Doctrina descivisse perindè asseris, ac si apud omnes constaret: eumque transfugam & prostratum Molinistam vocas, qui *Nemias* in D. Thomam, non verò Commentaria scribat, ac proinde melius & consultius taceat. Ita Willelme Doctissimum virum, Sorbonæ & sui Ordinis decus excipis? sed cur illi adeò barbarè ac ferociter succenses? non est profectò, quod dicam: cum jam apud omnes in confessio sit. Strenuus semper fuit Iansenii, Arnaldi, Sancygirani, nec non acerrimus expugnator. Non alia fuit odii in illum vestri causa. Sed Vir de Ecclesia, de Sorbona, de

de ordine suo benè meritis, alienis armis non indiget, ut in te tuique similes animadvertat. Ad illum igitur te remitto.

N O T A I I I.

L Arvam ponis sensim sine sensu, Moynium Doctorem Sorbonicum raptim adortus, eum à Cardinali Richelio, in Cornelium Iansenium, quem tamen non legerat, uti nec Augustinum, incitatum fuisse narras: tum ejus de duplici gratia, orandi scilicet atque agendi opinionem adducis, ac illam sufficientem duntaxat, hanc verò semper efficacem ais asseruisse: tum liberè pronuncias, *Moynii, Corneti, Haberti, Halerii æmulationem* in Arnaldum, & *Pedagogicas cupiditates*, illarum contentionum fontem esse: ac mirari, te dicis, *Procerum jocularum errorem*, qui se his dissensionibus interponunt, quasi in iis divinæ summa fidei ageretur. Relego tua vestigia. Urit te Cardinalis Richelii memoria, qui Sancygiranium vestrum, ne nova & impia dogmata spargeret, per multos annos in vinculis habuit. Illam verò, quam Moynio affingis sententiam, vel non capis, vel capere dissimulas. Nemo enim neget, quin tum ad orandum, tum ad bene agendum, divina gratia nobis opus sit: sed quod orandi gratia sit duntaxat sufficiens, quis, amabo, dicat? quis capiat? quando enim illius impulsu oratur, haud dubiè efficax est, cum suum effectum sortiatur. Ubi autem oratum est, quis nescit novam gratiam ad agendum, ad non peccandum, ad præceptum Dei servandum necessariam esse; quam tamen semper efficacem nemo dicat, qui doctus sit & Catholicus; cum eidem sæpè ac sepiùs resistatur. Quod subnectis, de præstantissimorum Doctorum æmulatione in Arnaldum, calum-

calumniâ est: à verò tua conjectura longè aberras: nihil enim piis & doctis hominibus, in tuo Arnaldo, præter errores displicuit. Sed quo tandem cæstro percitus in optimates, scilicet Ecclesiasticos, Episcopos, & Romanum Pontificem furis? quibus errorum, ignorantiam, & quod pejus est, in re tam serâ, tantique momenti, jocum & ludendi libidinem affingis. Erit aliquando, qui os illud tuum infrunitum, & stylum effranum castiget.

N O T A I V.

Hic novos Thomistas in tuas partes trahere videris: quo eventu, mox dicam. Gratiam, inquis, efficacem mordicus tuentur, & quandam aliam admittunt, quam sufficientem vocant, cui tamen sine efficaci nunquam consentitur: tum addis, vocabulum illud gratiæ sufficientis vix apud antiquos reperiri: Moyonium demum, eiusque distinctiones irrides.* Quod novos Thomistas ab antiquioribus discernis, doctis illis hominibus injuriùm est, qui à D. Thoma discedere videri nolunt. Sed, mi homo, Iansenianam causam tibi creditam prodis, accedisque partibus Iesuitarum, quos Thomistis probè reconciliasti. Quis enim Iesuitas inter gratiam efficacem non admittat? Quis sufficientem, per se solam, ad actum prodire unquam concedat? quod Thomistis hac in parte attribuis, Jesuitæ omnes tenent. O te scelicem & industrium conciliatorem! qui litem hanc composuisti, quam vel ipsi Rom. Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. componere olim frustra tentarunt. Vocabulum gratiæ sufficientis apud Antiquos non reperis. Sunt tamen, qui reperiant. Tu vide sis auctores, qui de illa ex professo scripsere. Immò D. Thomas 1. 2. qu.

* Pag. 12.

106. art. 2. ad 2. *auxilii sufficientis* expressam mentionem facit. Moynii distinctiones explodis, quia illas non capis. Mirabile est quorundam hominum ingenium, quibus solemne est, ea, quæ ipsi nesciunt, despiciari: sed ignorantiam suam palam faciunt, dum eam hac arte operire conantur.

In secundam Epistolam.

N O T A I.

Hic gratiam sufficientem explodis, novum *Molinistarum inventum*, *meram Vocem*, prætereaque nihil, titulum sine re, larvam & umbram: * subungere poteris cum Jansenio, monstrum & chimæram; cum Petro Martyre, humanum commentum, & Pelagianum perfugium. Hæc est illa gratia ab omnibus Catholicis admissa, ab hæreticis dumtaxat negata, quos Ducem in hoc Calvinum secutos esse, Duvallius Doctor Sorbonicus docet tom. 1. tract. de grat. quæst. 5. art. 1. Vis autem à Molinistis eam gratiam sufficientem adstrui, quæ suum aliquando effectum fortiatur. O gravem, ô insignem Theologum!

Tum in Thomistas, qui hanc gratiam approbant, ac potissimum in Patrem Nicolai, ejusque *familiam* stylum exeris; quod ii, neglecta ordinis sui doctrina, inita cum Jesuitis conjuratione, à S. Thomæ placitis desciverint. Id unum præsertim eniti vidêris, ut Thomistas concites adversus Jesuitas. sed ut in nonnullis ab iis dissentiant, ita cum iis in damnandis vestris erroribus probè consentiant. Crede mihi Wilhelme, Thomistæ gratiam sufficientem admittunt,

* Pag. 22.

quæ proximam agendi conferat potestatem, eo scilicet momento quo quis agere tenetur. Si tecum mihi disputandum esset, proferrem tabulas, auctores adducerem in schola Thomistica facile principes, quales sunt Didac. Alvarez disp. 71. de auxil. num. 2. Cabrera in 3. part. quæst. 18. art. 4. memb. 1. Cumel, Ledesma, Cabezudo, &c. consule opusculum de hoc argumento, accuratè ab Annato amico vestro, & summa fide elaboratum.

Præterea Jesuitæ admittunt quidem gratiam sufficientem, non tamen eam, quæ *aliquando suum effectum sortiatur*, ut per supinam ignorantiam affirmas. quis enim vel rudis tyro ignoret, sufficientem gratiam illam esse, quæ suum effectum habere potest, nunquam tamen habet; efficacem verò, quæ potest non habere, at semper habet? Tu magister es, Dux gregis ipse Caper, & hæc ignoras? quòd autem illam gratiam sufficientem nobis obtrudas, quæ actus imperfectos excitat, turpiùs erras; cùm illa pro iis actibus reverà efficax sit. Sed ad alium perfectiorem spectat, inquires, ad quem tamen voluntatem flectere nequeat, ac proinde voluntas ad agendum satis instructa non sit, nec proximam & plenam habeat agendi potestatem. Illa igitur gratia sufficiens non est. Si mihi tecum res esset, facilè demonstratu foret, dari gratiam sufficientem. consule auctores, qui de hoc argumento scripserunt, Suarez, Ripaldam, Annatum, Stephanum Deschamps: non tamen sine magistro. In his enim, quamvis alioquin Theologus, saltem nomine tenus atque in speciem, satis rudem te probas.

Unum tamen breviter innuo, ex Constitutionibus Apostolicis contra Jansenium petitem. Cùm quis peccat, Dei que violat præceptum, quod tamen sine
divina

divina gratia servare nequeat; vel eam gratiam habet, qua scilicet à peccato abstinere possit, vel eâ caret: si habet, & reverà peccat; quis neget, illam merè sufficientem esse? si verò caret; igitur non peccare non potest. Igitur necessariò peccat: quod in tertia propositione damnatum est. Igitur servare præceptum illi possibile non fuit: quod etiam in prima confixum, & inter hæretica dogmata reputatum. Viden' esse adhuc inter vos, qui, dum gratiam sufficientem explodunt, fulminatas Jansenii propositiones etiamnum defendunt? Quod verò in doctissimam & religiosissimam Thomistarum familiam peccasti, quibus *græculam levitatem*, quæ graviores Theologos non decet, temerè aspergis, non impunè feres. Sed cum illi extraneo patrono ac defensore minimè indigeant; stylum & calamum sustineo.

N O T A I I I

ARenariam clepsydram adhibitam fuisse in confesso Sorbonico, * cui supremus Gallix Cancellarius, jussu Regis Christianissimi præfuit, vehementer doles, & copiosè deploras. Sed res id fieri postulabat; ut aliquis modus vestris declamationibus tragicis, invectionibus plusquam judicialibus, effugiis, nugis, solitisque tumultibus poneretur. Et hîc doctum, eruditum, litteratum agis. In hac quæstione juris, (nam quæstionem facti levissimam, & nullius momenti reputas) tota, inquis, explicanda erat traditio, innumera calumniæ redarguendæ, & cavillationes diluendæ: tandem *actum erat de Molinistis*, qui à Doctoribus Arnaldi defensoribus validissimè urgebantur, & maximâ testimoniorum copiâ *obruerantur*. Io triumphe, Wendrocki! ô quàm egregiè,

* Pag. 23.

quam strenuè, quam thraſonicè ! Sed cur leviffimam reputas quæſtionem facti, quæ ad Romani Pontificis auctoritatem pertinet? Fortè illius pondus non ſentis: ſub quo Janſenius, Arnaldus, Montaltius, alii- que damnatæ memoriæ homines æternùm gement. Sed de hoc tecum infra; quia centies repetis, & familiaris hæreticorum vox eſt. Quod verò ad quæſtionem juris pertinet; id duntaxat unum enixi eſtis, ut per tumultum, quod jam aliàs pro votis ſucceſſerat, conſeſſum diſſolveretis, & inconditis clamoribus, quos lixis & calonibus, nunquam tamen Eccleſiaſticis Doctõribus condonarem, judiciorum & ſuffragiorum ordinem confunderetis. Quod autem palmaris illa petulantia compreſſa ſit, & inſolens audacia cohibita, ab re proſectò doles. *Tanti res non fuit*, inquis. At niſi proxima illa non peccandi poteſtas adſit, neceſſariò peccatur. Sed hoc dictu hæreticum eſt. Quod demum ſubdis, de *formidabili* Moliniſtarum potentia apud Sorbonam, quibus facilè perſuadeas, non invenies. Ridebit, credo, ipſa Sorbona.

N O T A I I I.

ANtiquas & jam obductas cicatrices malitioſè refricas. Ut vel inde manifèſtè appareat, quanto Chriſtianæ charitatis, ſectæ hujus reformatæ homines, ſtudio ducantur. Quid de illo, qui ſeminat diſcordias inter fratres, in ſacro textu legamus, fortè meministi. Quod aliqui auctores fervore diſputationis abrepti extra fines Chriſtianæ moderationis tantulùm excurrant; cui, amabo te, mirum accidat? nonnulli Thomiſtæ Jeſuitis Maſſilienſium hæreſim, & hi viciffim illis Calvini errores affinxerunt: ſed

sed hinc inde doctissimis responsionibus, inustam notam expunxerunt. Ultra pars melius, sub Judice lis est. Ut autem Thomistas vehementius commoveres; exosum libellum, cui titulus, *Calvinismus religio bestiarum*, sub aspectum reduxisti. Quorsum verò hæc? quis non videt, nisi & ipse bestia sit? at, crede mihi, Willelme Wendrocki, in censu ab auctore illo instituto, ac in ea bestiarum religione, Jansenius vester non postremum locum habuisset; si jam tum illius secta in lucem, vel potiùs in tenebras venisset: & fortè non levem mutandi tituli occasionem præbuisset; sic ergo emenda, *Jansenismus, religio bestiarum*.

Annati librum de scientia media, eodem animo & consilio appellas: ut adversùs illum auctorem de Ecclesia ac Theologia benè meritum, Thomistarum animos commoveas. Si veri & æqui amantior esses, ad ejusdem Annati libros diligenter evolvendos, te ac tuos amandarem: quorum lectione, ut doctior, ita fortè aliquando Catholicus evaderes. Sed quid fus ad Minervam & porcus ad gemmas? At cur, amabo, id vitii Jesuitis exprobras, quod Jansenio, Aurelio, & tuis Parochis, quos impensè laudas, familiare est, qui tot errores Jesuitis ac cæteris Theologis moralibus, perperam licèt, affingunt? cur festucam in oculo fratris tui ferre non potes, & trabem in tuo non vides? * Subnectis denique, Ripaldam fateri tom. 2. disp. 113. sect. 9. num. 55. sexaginta Molinae propositiones Romæ in Congregatione de auxiliis fuisse damnatas. Sed nugæ. Quandoquidem Ripaldam laudas, eodem Judice stamus. Quid legis in eadem pagina? *meras fuisse imposturas & calumnias Molinae affictas*; perge & lege. Pontificio tamen decreto tibi parendum erat.

* Pag. 24.

quo, ne hujusmodi congregationum acta citentur, ritè cautum est: sed te Romana decreta parum, aut nihil movent. Intereà pro his consule Paulum Leonardum, Ripaldam, Petrum à Sancto Josepho, & solutionem quæstionis Historicæ apud Annatum, à quo multa disces, quæ in arte spargendæ festivos sales tuum Montaltium docere possis.

In tertiam Epistolam.

N O T A I.

Censuræ Sorbonicæ, quam *Molinisticam* per jocum vocas, * tum *iniquitatem*, tum *insulsiatatem*, his notis accusas. Sic damnatus reus de iudice & lata sententia conqueri solet. Iræ vestræ, ac summæ rerum vestrarum, quæ tunc fuit, desperationi aliquid condonandum. Res ista vos altè pupugit. Durius esset, silentium imponere, ac solitum lamentationis refugium intercludere. Arnaldo factionis vestræ, atque Jansenianæ sectæ coryphæo turpissimam notam inuri, selectum doctorum vestrorum manipulum exauctorari; atque uti membra Sorbonæ putrida ac pestifera rescindi, acutissimi sanè doloris fuit. Nempè quis ignem & cauterium, quis ferrum & novaculam non sentiat? mirum tamen nonnullis accidit, quod censuram illam *Molinisticam* appelles; nisi fortè, quia vos in pistrinum, ad molam asinariam detrusit.

Mox ad Jesuitas orationem convertis, quorum aliquot exercitationes, tum pias, tum gymnasticas seu literarias pro more carpis: Catechismum scilicet, quem in superbo D. Ludovici templo diebus festis Lutetiæ Parisiorum habere consueverunt; in quo pueros &

* Pag. 33.

puellas

puellas ad maledicentiam & calumniam inquis, *histrionica forma erudiunt*. Pios & familiares dialogos, *histrionicos* perperam vocas. Vis dicam illud, *nulla fides pietasque virus?* bonam vestram fidem Annatus probavit: erit fortè, qui pietatem laudet. *Histrionicam*, Montaltio tuo, *Histricorum* facilè Principi, & Imperatori ultrò relinquimus, ne in res vestras nos involare dicatis. Quid tibi velis, mi Wendrocki, sat scio. Magnificum illud templum, non *populi exstructum spoliis*, ut impiè, ad conflandam Jesuitis invidiam garris, sed pia Regis Christianissimi Ludovici XIII. beneficentia ædificatum, ac gentis selectæ concursum & frequentiam optimis illis Patribus invides: & nobiles pueros puellasque, quibus fides, pietas, & Christianæ virtutes cum lacte instillantur, de doctrina Catholica erudiri, ægrè, immo ægerrimè ferre videris: velles Jansenianis juxta Cathecismum vestrum à sede Apostolica damnatum infici erroribus, & mortiferum iisdem porrigi venenum: quidquid secus fiat, *scenicum & histrionale* appellas.

Idem dico de pia illa & festiva supplicatione, si tamen aliqua fuit, Matiscone habita, in qua sufficientis gratiæ triumphus, profligata Jansenii hæresi, qui prædictam gratiam procul ablegarat, fuit exhibitus: Idem dico de Claro-montano Dramate, in quo Jansenismus, non Jansenius in orcum detrusus est, & eò redire compulsus, unde priùs eruperat. Sed Jansenium pro Jansenismo accipis, & Patrem substituis in prolis locum. Dic mihi, Willelme, qua lege parentes pro filiis luere teneantur? ego sanè grauissimam in hoc injuriam Patriarchæ vestro à te illatam apud te queror. Quamquam fabulam in fabula fingis. Nihil enim ejusmodi in Collegio Claro-montano exhibitum unquam fuit; nisi fortè librum, qui damnatus Jansenius

inscribitur, damnatus inquam à Romano Pontificè, in tragœdiam, vel comœdiam tu & Montaltius commutare voluistis.

Idem peccasti in Almanacho isto, * sic enim barbarè tecum & cum tuo Montaltio vocare liceat, ne periphrasi, vel minùs proprio vocabulo utar. In hoc enim Jansenismum in Jansenium incautè convertis. hoc autem inventum, non Jesuitarum, ut falsò asseris, sed alterius fuit, quem facilè appellarem, si res postularet; at cujuscumque tandem sit, & quidquid dicas, res sanè lepida visa est, non modò falsamentariis & laniis, ut dicis, verùm etiam sapientissimis hominibus, quin & ipsis Summatibus; immò, velis nolis, ingenuè dicam, Innocentio decimo, Pontifici Maximo jucundissima fuit, cujus singulari jussu, imago papyracea in ampliorem tabellam, auro & coloribus distinctam, non infœlici penicillo, ad perpetuam rei memoriam, traducta est. Impalluisti Willelme: Innocentii nomen te perculit. Sic fulmine tacti, tonitru deinde timent. Neque ut narras, fabella fuit, sed vera historia. Quid enim vobis sacro anathemate afflatis restabat, nisi, ut vel ejuratis erroribus, rediretis ad cor (quod sanè desiderari à nobis, sperari tamen vix potuit, in tanta præsertim animorum obstinatione) vel detracta larva, ad fœderatos Calvinistas vos tandem reciperetis; cùm iis communium errorum nexu jam arctè devincti essetis. Sed magno fabella illa, inquis, Jesuitis *constitit*, edito scilicet carmine ludicro & satyrico, quod exquisitarum laudum minio illustras, ac dignum reputas, quod à Poëseos studiosis & rerum avidis (: malarum scilicet :) tractetur. Infanum caput! scurrilis & monstrosus ille prostratæ factionis fœtus, mille unguibus & rostris horridus, vix natus, damnatus fuit: vix primam lucem aspexit, cum De-

* Pag 34.

creto Pontificio æternis tenebris addictus: & hunc Willelme laudas? hanc pestem adornas, quia Jesuitis infestam putas? quid aliud reponerem? ad Decretum Innocentii & librorum damnatorum censum te remitto, in quo alios etiam invenies; Jansenium scilicet, Arnaldum, Sancygiranum, Fromondum & reliquos, qui pro Jansenio scripserunt: quos istarum laudum participes facias, æquum videtur.

In quartam Epistolam.

NOTA I.

Hic tandem ratiocinari cœpisti, bone Willelme, & contra Jesuitas rationis usum adhibes, quem in iis huc vsque ferre non poteras: * sed quam parum tuum ratiocinium, rationi & veritati consonet, breviter discutio. *Tota olim, inquis, & libera Sorbona, facultas Lovaniensis, Episcopi Gallia, Parochi Parisienses, Rothomagenses &c. Jesuiticam doctrinam, in Baunio censura sua notarunt, quã docet nunquam ab eo peccari, qui peccatum esse nescit: id est, à peccato immune esse, quod fit per ignorantiam invincibilem scilicet; nec quisquam est, qui aliam intelligat. Quid ergo mirum, inquis, si Catholici (scilicet Janseniani) ignorantiam juris naturalis & Decalogi, peccato non eximere, defendant? & in hanc rem, sugillas furiosum illum Apologistam, quem deinceps distinctionis gratia, secundum vocabo, vel alterum; & secundam Jansenii Apologiam laudas. Extendis præterea Baunii doctrinam ad omne ignorantia genus: tum*

* Pag. 46.

mollitiem tuorum arguis, qui hanc Jesuiticam doctrinam *erroneam* appellant, quam *hereticam* potiori jure appellare potuissent; cum fide constet, aliqua esse ignorantia peccata; * quod probas ex scripturis, ex Concilio Diospolitano, ex traditione; longum denique D. Bernardi locum adducis. hæc tui ratiocinii summa est.

Sed mi homo, totum hoc ratiocinium corrui, si quis vel uno verbo reponat, ignorantiam voluntariam & culpabilem, ut vocant à culpa non liberare; & hanc esse, quam scripturæ, concilia, traditio, Patres à peccato immunem esse negant. De invincibili nemo Catholicus neget: alioquin ex necessitate peccaretur, scilicet involuntaria: quod in tertia propositione damnatum est. Ad tua principia tuum ratiocinium reduco, scilicet, ad peccandi necessitatem, quam libertati ad merendum, & demerendum, ut vocant, officere non putas; quod scilicet necessarium cum voluntario aliquando conjunctum sit. Sed qui hoc dixerit, anathema. immo quod fit per ignorantiam invincibilem, voluntarium dici nequit: nec enim voluntas fertur in incognitum; nec volo admittere peccatum, quod ignoro; aut violare præceptum, quod nescio.

Quod autem Baunio affingis, calumnia est. Nempe ille de ignorantia, incogitantia, inconsiderantia invincibili duntaxat agit. Item ineptè fugillas alterum Apologistam, quasi vobis imposuerit, ignorantiam invincibilem à Jansenianis *peccatum reputari*; cum ii tamen peccatum duntaxat esse reputent *quidquid flagitii per eam fit*. Pudeat te aperti mendacii: ad pœnam libri: cita locum; lege à pag. 23. ad pag. 39. ubi auctor doctè, fusè, acriter tuum Mantaltium refutavit; eâ sanè verborum claritudine, quâ hujus erroris, qui apud vestros ultimo loco non est, tenebræ penitus profligantur: & hoc te valde pupugit: quanquam alii multi,

* Pag 47.

ut

ut Annatus, Martinon, Petrus à S. Ioseph, Marandæus hoc etiam munere peregre defuncti sunt. Porrò in hanc rem secundam Jansenii Apologiam laudas: librum scilicet Innocentii decreto in confixorum album relatum.

Vis demum dicam, quod res est? de ignorantia, ignorans ipse scripsisti: sed alios utique ignorantia, te tamen nullatenus excusat; cum in te voluntaria, crassa, vel ut vocant, affectata sit. In hoc do manus ultrò, ac descendo in tuam sententiam: ignorantiam scilicet tuam à peccato, eoque gravissimo non liberare. Nullus Baunius, vel Caramuel, vel Diana, nullus Casuista, quamvis laxioris doctrinæ auctor, secus sentiet. Censura Sorbonica, cujus mentionem facis, nondum prodiit; neminem igitur ferit: Lovaniensis suspecta est, & fingit Chimæras, quas notet: Episcopi Galliæ præmissam doctrinam nunquam damnarunt; si fortè Senonensem, Bellovacensem & Convenarum excipias; quorum in doctrina morum & fidei iudicium etiam suspectum est. Sed hîc tuos non alterius errores adnoto.

N O T A I I.

HOc paragrafo eundem * Apologistam impugnas, eò quod dixerit, impio non deesse gratiam sufficientem, bonæ scilicet cogitationis, remorsus, desiderii, timoris, sed ea parum advertere; Bellarmini locum de Grat. & lib. arb. lib. 2. cap. 6. statim opponis; tum juveniliter exultas contra hanc, inquis, Jesuiticam ineptiam; & negas, id sufficere, ut homo à peccato abstinere queat: intacta igitur & inconcussa Augustinianorum, id est Jansenianorum doctrina, qui evidentissime probant, Scripturæ & Patrum

* Pag. 48.

auctori-

auctoritate, & compellata cujusque conscientia & experientia, gratiam sufficientem peccantibus revera deesse: * immò contrariam doctrinam bonis gravem & molestam, peccantibus odiosam esse contendis; atque adeò Pelagianam; cùm seclusis etiam conscientia morsibus, in sola cognitione peccati, gratiam sufficientem collocet; præterquàm quòd hujusmodi morsus in quadam formidine positi esse dicuntur, quam idem Apologista pro vera gratia, qua peccata vitari possunt, obtrudit; quod ab Augustino, scilicet Iprensi, & gratia auctoribus, scilicet Jansenianis, centies explosum est.

Hic tuam fidem, Willelme, religionem, rationem desidero. Non advertis, aliud esse, aliquid leviori cogitatione attingere; aliud maturè ponderare, & penitiùs inspicere. Primum illud percipitur quidem, at leviter & minùs perfectè: quid mirum ergo, si minùs afficit? alterum verò altiùs imprimitur & inculcatur: quid mirum, si vehementiùs excitet? Sic oculus leviori aspectu nonnunquam aliquid delibat; idem aliàs fixo intuitu aspicit & lustrat. At quis nescit, leviozem illam cogitationem esse ad instar fermenti cujusdam & seminis, ex quo, ejusdem gratia beneficio, majorem & perfectiorem homo elicere possit, si velit. Hæc longè fusiùs prosequerer, si rerum honestarum & sanæ doctrinæ patiens esses; ac penitiùs demonstrarem, illam omnino gratiam sufficere, ad hoc, ut aliquis peccatum vitare queat. Accedit, quod timeo, ut rem hanc capias, quantumvis à me paulò fusiùs explicetur, quam ab Apologista clarissimè alioquin, ac nitidissimè descriptam capere non potuisti. Facesse igitur cum tuis nugis, quas ignorantia juxtà atque malitia attribuo. Belarmini locus ad hanc rem non facit, nempe contra illos disputat, qui dicunt, Deum perpetuò pulsare

ad ostium cordis, & peccatores vocare, sed eos non percipere. Dissimilem quæstionem agitas. neutrum adstruit Apologista: vult enim, instinctus illos percipi, sed leviter, & minùs perfectè: nec Baunius aliam attentionem, cogitationem, reflexionem ad peccatum exigit, nisi eam, quæ ignorantiam invincibilem expungit.

Moynium deinde perstringis: Herculi, qui dormit, Pygmæus barbam vellicas: sed clavam time. Doctrinam illam Jesuiticam * *bonis gravem & molestam peccantibus odiosam* esse, tantum non juras. sed ne jurato quidem crederem: jurabis, scio, te fallere posse Deos. Præterea tuos illos bonos intelligis, & Portus-regalis pœnitentes: qui vel inde excusatos se volunt, dum ipsi peccant, quod gratia, ad hoc, ut possent non peccare, necessaria, iis defuerit: cum tamen illa, quam adeò improbas doctrina, nullum excusationi locum relinquat. Quid enim est quod peccator, quem patrati criminis arguo, pro sui defensione adducat? vix inquit, adverti animum ad legem divinam, ad pœnas inferorum, ad turpitudinem & malitiam actionis. Vix inquis: at saltem leviter hæc cogitatio cor & mentem tuam pulsavit. Ita est, inquis; levissimè tamen. Ex modico illo semine uberes fructus referre poteras: applicare animum, in tua potestate fuit, ejusdem divinæ gratiæ impulsu; & hoc nullatenus negas: quod reverà si fecisses & conatum, quem poteras, adhibuisses; dubio procul omni minimè peccasses.

Tecum ago Willelme, nec alium compello peccatorem. Quis enim gravius unquam peccare potuit? tot ac tantos errores effutis, tot calumnias effundis, tot probra spargis & convitia; mortiferum denique piis & doctis hominibus extremæ maledicentiæ vi-

* Pag. 50.

rus aspergis : nullus Casuista tam gravia scelera excuset, nullus Confessarius dissimulet. Fateris ultrò, peccantibus gratiam sufficientem deesse, Sed hoc est hæreticum. Fateris, Augustinianorum esse doctrinam, sed damnatam : fat scio, quos intelligas. Timorem illum gehennæ, qui divina fide ac revelatione nititur, veram gratiam esse negas, sufficientem scilicet, ad non peccandum : quod cum tuis Gratia, scilicet Calvinianæ, Doctoribus liberè effutis. Hoc etiam est hæreticum, scripturæ & Tridentino repugnans : brevius respondere non possum. Pelagianismi notam eidem Apologista perperam inuris, eò quod cognitionem peccati deductam ex fide, aliosque pios motus divinitus immisos, à morfu licet conscientia distinctos, pro sufficiente gratia acceperit : tu verò ipse in eandem notam incurris, qui negas hujusmodi motus & illustrationes, veram Christi gratiam esse. Verbo dicam, Willelme, eò spectas, ut nullam gratiam sufficientem esse velis, præter gratiam efficacem, in sensu scilicet Calviniano, qui Janseniano consentit : quam semper in ore, in animo & corde nunquam habetis ; alioquin ejuratis erroribus, Catholicam doctrinam, quam vobis optima parens Ecclesia tot Constitutionibus Apostolicis, atque Decretis explicuit, & proposuit, ultro amplexi estetis. Annis Willelme, cum tota reformatorum corona.



Notæ

Notæ præambulæ in sequen- tes Epistolas.

N O T A I.

IN his notis præambulis, generales quasdam Jesuitarum querimonias breviter proponis, atque refellis. * Cum enim inquis, quædam loca falsi arguant, quædam defendant; operæ pretium erit, depulsis eorum cavillationibus, obtritisque defensionibus, fidem & doctrinam auctoris, scilicet Montaltii, factam in omnibus integramque præstare.

Quod ad fidem attinet & crimen falsi, ad Annatum te remitto; qui fidelem tibi tuisque operam navavit, obtinuitque, ut vestra fides omnibus patèret; cavillationes etiam vestras mirabiliter detexuit, atque detexit. Expecto, ut hujus fidei sanctitatem novis miraculis apud Regioportum editis confirmes. Doctrinæ integritas, scilicet damnatæ, unam duntaxat approbationem postulat, ab inserto Alexandri VII. decreto petitam. Sed vide, ne tuus Montaltius dubiæ fidei homo habeatur, Galli vocant *Foy double*. Tu sanctam laudas: Annatus malam esse demonstrat. Annato auctori accuratissimo detrectare fidem non possum: tibi etiam amico & familiari meo fidem habere debeo. Vtrique aliquid dandum. inter vtrumque dubius hæreo; vestram fidem illam dubiam interim habiturus.

* Pag. 50.

NOTA

N O T A I I.

VNiversas, inquis, * Montaltii accusationes generali quadam exceptione depellere Jesuitæ conati sunt, non alia suis doctoribus objici causantes, quàm quæ Molinæus in suo libro Traditionum Romanarum, (sic enim liber inscriptus est) jam ab anno supra millesimum & sexcentimum, trigesimo secundo, perperam objecit: hic integrum Parochorum Parisiensium scriptum exscribis & latinè reddis; nec eam ob rem plagii te accuso; uteris jure tuo: unus idemque est scriptorum omnium contra Jesuitas auctor. Hic tuum venalem stylum conduxit: utinam tam Catholicum, quàm latinum! sed ulcus non premo, ne virulenta tecti apostematis, vel apostatae fanies erumpat. Nonnulla, ne quid affingam, contrahis, & in compendium redigis: reliqua ut jacent, fideliter exscribis, & vertis. Quam porrò hæc in totam Ecclesiam injuriosa sint, doctissimisque & sanctissimis doctoribus; Catholico lectori cogitandum relinquo. Itane verò? Molinæi censuram tuo calculo † approbas, & hoc unum duntaxat improbas, quod ea Ecclesiæ imputet, quæ Catholicis Doctoribus ab ipsa Ecclesia approbatis imputare debuerat. Sed res eodem recidit ut consideranti patebit: corpus lædit, qui precipua membra percutit. Hoc fanè multis mirum acciderat: at desino mirari. Iam multa cum illo Hæresiarcha vobis convenerant; ut Ricardus amicus vester (malleum dicere volui) lepidissimo argumento seu testimonio comprobavit. ‡ De hoc ultimo longè faciliùs convenire potuistis.

Doctri-

* Pag. 50. † A pag. 51. ad 54. ‡ Antonium Ricardus in *Appendice ad dispus. de lib. arbitrio.*

Doctrinam Theologorum Moralium, Jesuitarum præsertim, ut *erroneam ac hæreticam* impunè traducis, ab *Ecclesia* tamen *tolerari* dicis; dolesque optimam parentem liberis paulò liberiùs indulgere; quamvis illi exterorum *odium, contemptum, horrorem & opprobrium* optimæ parenti conciliarint. Jesuitarum item existimationi lethale vulnus his litteris inflictum esse prædicas. Sed iisdem potiùs litteris, earumque auctori, cauterio Apostolico vulnus inflictum est. Jesuitarum doctrinam jam *gravem & odiosam* populis esse, & Iesuitas jam passim ab omnibus deserti ac derelinqui, per summam jactantiam subnectis: censuras item Sorbonicas, Lovanienses, Parochorum, & aliquot Episcoporum, etiam atque etiam exaggeras. Ita prorsus Heterodoxi, nisi fortè mitiùs, loquerentur. Quando Ecclesiam appellas, quæ, ut ais, Iesuitarum doctrinam confixit*; cur Romanæ, scilicet Catholicæ, nullam unquam mentionem facis? sed duntaxat Sorbonæ, Lovaniensis Academiae, Parochorum & aliquot Episcoporum, de quibus jam supra. Si tam angustis finibus Ecclesiam complecteris; vide ne Donati hæresim postliminiò reducas.

Hæretici notam à te tuisque amovere conaris: sed operam & oleum perdis. Willelme, quisquis hæreses obstinatè defendit, jure ac meritò hæreticus censendus est. Ecclesiæ, inquis, judicium expectandum. quasi verò Ecclesia Iansenii causam non judicavit, & Constitutionibus Apostolicis non deciderit. Porrò Iesuitæ tam destituti ac deserti non sunt, quàm exaggeras. tua vota & desideria, non historiam narras. Quàm frequentes adsint Parisiis, in superba illa, ut vocas, Basilica, ad exhomologesim & sacram synaxim, & ad Præcones Evangelicos è sacro pulpito dicentes audiendos; etiamnum vident Ianseniani & invident.

invident. Quid Lugduni ultimis hisce Festis Natalis Domini actum sit, prætereo, quia omnibus notum. Nec erat, quod Jesuitas Parochi hortarentur, ut tandem agnitis ac ejuratis suis erroribus ad Jansenianorum castra & partes transfirent, sic rebus suis desperatis probè consulturi.

Sed inquis, non aliud ad os occludendum Jesuitis mihi dari velim, quàm illud ipsum, quod inter Montaltii & Molinæi criminationes παράλληλον instituerunt: * ita omnia dissimilia sunt. Non occurrit, quid aliud respondeam: quæstio facti est: ad pœnam libri; gutta guttæ non est similior. Utris potiùs habenda fides, Jesuitis scilicet, an Jansenistis? haud dubiè præjudicium Jesuitis favet: nempe hi dixerunt semper & ubique, & omni asseveratione affirmarunt, quinque Propositiones Iansenii esse, & in ejus sensu damnatas: hoc idem Iansenistæ obstinatè negarunt: sed tandem Summus Pontifex, Alexander VII. sententiam tulit, & Jesuitæ causam obtinuerunt. Fingis deinde auctores à Montaltio citatos, post Molinæum scripsisse, eosque recensens, ut libet: sed cur omisisti Molinam, Sanchez, Vasquez, Lessum, Suarez, Valentiam, Layman, Emanuèlem Sa, & multos alios, qui sua Commentaria in lucem ediderunt, antequam Traditiones illæ Romanæ, Genève prodirent.

Porro unum libenter à te scire aveo: cur Molinæo ita addicti, & Molinæo ita infensi estis? Cogitanti mihi id tantùm causæ in mentem venit: quia, scilicet, hic Catholicus, ille verò hæreticus est: similis simili gaudet: errores qui vobis arident in Jansenio, non displicent in Molinæo: in Molina & Jesuitis nihil vobis placet, quia sana doctrina, religiosi mores, perpetua erga Sanctam Sedem observantia. At dum Molinæo subscribis, omnes Doctores Catholicos,

* Pag. 54.

scilicet

scilicet D. Thomam, S. Antoninum, Sylvestrum, Cajetanum, Burchardum, Navarrum, Angelum, Medinam, Bellarminum, Toletum & multos alios, quorum censum frustra describerem, cum eodem Molinæo duce perstringis. Nec est, quod dicas, à Molinæo errores Theologorum Ecclesiæ perperam imputari. Igitur Ecclesia compertos in suis Doctõribus errores tolerat, ab iis etiam obstinatè defensos. Hæc Jansenii mens fuit, ut Bani sui errores excusaret: sed dum errores alterius excusat, longè graviores ipse admittit errorem; ut doctissima & nervosissima lucubratione Annatus demonstravit. *

Plura subnecterem: sed nullus dubito, quin Jesuitæ Parochorum scripta egregiè refellant. in quo nonnulli aliquam eorum tarditatem accusarunt: malim credere, justis de causis, defensionem suam in aliud tempus distulisse; publica illa, quam in lucem dederunt, provocatione ad Rom. Pontificem, & contestatò interposita denunciatione in præsentiarum contentos. Non deerit saltem materia, segesque amplissima, quam discutiant; calumniæ, quas diluant; errores, quos damnent; injuriæ demùm & contumeliæ, quas Catholico ritu, & Christi exemplo condonent. Sed tuos, ut dixi, non aliorum errores censeo: neque hæc etiam obiter indicassem, nisi aliorum erroribus tuos auxisses.

* *Annatus in Augustino à Bajanis Vindicato.*

N O T A T I I I.

Queruntur, inquis, Jesuitæ, sibi tribui, quod ab aliis ipsi acceperint: sed ad vitium excusandum, socios habere nihil juvat: nec necesse habuit Montaltius, libros ineptos aliorum auctorum con-

quirere, ex quibus Jesuitæ corruptelas suas hauserint; cum ipsi eas majori auctoritate propugnent, disseminent, omnium animis instillent: *alii auctores sibi peccant, Jesuita toti Ecclesie*: latebant prius hæc dogmata in Bibliothecarum angulis, paucis nota: ea tamen Jesuitæ publicarunt; in aulas Regum, in curias Magistratum, in familias privatorum invexerunt. *

O Bone! Jesuitas per fas & nefas deprimere conaris, & altiùs extollis: præ illis nullum alium auctorem putas, qui de Theologia Morali scripserit: D. Thomam, D. Antoninum, Cajetanum, Sylvestrum, Navarrum, utrumque Sotum, Victoriam, Medinam, Angelum, Fumum, *ineptos scilicet auctores*, in Bibliothecarum angulis depositos, blattis & tineis dumtaxat terendos relinquis: à quibus, ut nihil, aut parum damni timendum est, si corruptam doctrinam contineant; ita si bonam, nihil, aut parum emolumenti sperandum; sibi canunt & suis Musis, aliis non profunt nec obsunt. Sed laudem hanc iniquam Jesuitæ nulla ex parte admittunt: quidquid ipsi de re morali scripsere, id totum aliis referunt acceptum: hinc tam multos citant, tum Theologos, tum Sacrorum Canonum & Legum peritos: quid unus Sanchez in hac parte præstiterit, omnes sciunt. Quòd Montaltius multa non legerit, vitio illi non vertam; frustra enim legeret, quæ ipse non intelligeret: quòd verò Theologiæ moralis supremus arbiter haberi velit, ut totam morum doctrinam censeat, illorum tamen auctorum libros non triverit, in quibus ea principia explicantur, ex quibus morales conclusiones deducuntur; nihil plerique omnes tam ridiculum & insanum, tam audax & temerarium,

tam impudens & putidum fingere animo potuerunt.

N O T A I V.

Queruntur etiam, inquis, praetermissa multis in locis variorum scriptorum nomina, quorum congestu doctrinae suae auctoritatem conciliarunt: sed non erat, quod Montaltius paginas suas barbarorum nominum congerie fœdaret: otio ac tædio legentium consulendum fuit, praesertim cum nihil inde roboris accederet: quid, quod in citandis auctoribus, * magna Jesuitarum indiligentia, & exigua fides? immò cum Annatus questus sit, omissa esse duo S. Thomæ loca, alterum in Lessio, alterum in Thoma Sanchez; utrumque ab eisdem depravatam fuisse deinde compertum est; undè apparet æquitas Annatinae querelæ.

Hic tuam fidem, Willelme, si quando unquam malam fidem Annatus objecerat: ut malam excuses, pejorem reddis. Locum D. Thomæ, quo Lessii doctrina haud parùm confirmatur, suppresseras: nunc verò contra eandem, novum locum affingis: nec homines vereris, nec Deum times: ad pœnam libri. Verba D. Thomæ ex 2. 2. quæst. 32. art. 7. distincto caractere, ut mos est, sic fideliter exscribis: *injustè acquisita, † quæ quis per Simoniam, aut subversionem justitiæ accepit, in Eleemosynas largiri tenetur; turpe lucrum verò & justè retinere & rectè in Eleemosynam impendi potest.* Et hæc Angelico Doctore affingis? Impostor nequam, dignus sanè quem totus orbis scholasticus sibilis excipiat: Sic ergo textum emenda; *alio verò modo est aliquid illicite acquisitum;*

* Pag. 56. † Pag. 56.

38 In notam 4. praeamb. ad Epist. 5. & sequentes.
fitum, quia quidem ille, qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, à quo acquisivit, quia scilicet contra Justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit, sicut contingit in Simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam legis divinae agit; Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in Eleemosynas erogari, & eadem est ratio in similibus, in quibus scilicet & datio & acceptio est contra legem. Tertio modo est aliquid illicitè acquisitum, non quidem, quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id, ex quo acquiritur, est illicitum; sicut patet de eo, quod mulier acquirit, per meretricium; & hoc propriè vocatur turpe lucrum; quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo quod accipit, non injustè agit, nec contra legem; Unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest, & de eo Eleemosyna fieri. O fidelem, ô sanctum, ô integrum Amanuensem! Vbi legis, Willelme, illam clausulam, aut subversionem justitiae? Quæ haud dubiè si adesset, S. Doctoris sensum & mentem omnino mutaret. Ita omnia subvertitis, in doctrina morum & fidei, ut vel ipse Doctoris Angelici textus à vestris calumniis immunis esse non poterit.

Sed ut ad rem propiùs accedam, intactâ scilicet Lessii causâ, quam Annatus egregiè defendit, & palàm fecit malâm, immò pessimam Montaltii fidem; dic mihi, fodes, Willelme, undè insertam illam clausulam hauseris, quam haud dubiè in textu non legis? nec ignorantia id tribuendum esse videtur, quam adeò supinam esse vix crediderim. Ut autem in hac re, quæ luce meridiana clarior est, tuam malitiam & malâm fidem accusem, adduci reverà non possum, nisi frontem omnino posueris, vel æneam, aut meretriciam, quandoquidem de meretricibus agis, indueris: mediam quandam viam in eo, & mitiorem sen-

de. 2. 2. 9. † de. 2. 2. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

tentiam amplector; ne tibi plus æquo, vel indulgeam, vel succenseam. Malitia certè non defuit. Quis enim animum tuum stylo tuo sincerè ac fideliter expressum, ut saltem, vel in hoc, sincerus & fidelis esses, quis inquam animum tuum, immortalis odii adversus Jesuitas felle imbutum, ac livoris veneno dilutum, non tantùm in singulis tuæ satyræ paginis aut versibus, sed etiam in minimis apicibus, clarissimè non videat? Malitia igitur non defuit; sed cum supina ignorantia conjuncta. Legisti in notis, seu Commentariis Cajetani, hinc indè margini adscriptis, prædictam clausulam, *aut subversionem justitiæ*: Glossam à textu, quanquam diverso characteris genere distinctam distinguere tamen nescivisti. Quid mirum? cum tam parum in terendis hujusmodi auctorum libris versatus sis, & nihil tibi sit cum *meptis* illis, quorum barbaris nominibus suas Paginas Montaltius fœdandas esse non putavit. Sed inquires, hoc saltem Cajetanus habet. Non agitur de Cajetano, sed de Aquinate. Idem utrique Thomæ nomen, eadem Patria, idem Ordinis institutum, non tamen uterque unus & idem est: nec Cajetani Glossa, cujuscunque tandem sit ponderis, pro textu D. Thomæ habenda est. Malitiam tuam accuso, palmarem ignorantiam rideo. At Willelme, si hæc in viridi, quid in arido? si locum adulteras, de quo tecum Annatus disputat, productis resignatisque tabulis; quid amabo de aliis, intactis hactenus & in examen minimè vocatis, sperandum est?

Alterum D. Thomæ locum, quod lib. 3. art. 10. fideliter quidem exscribis; sic enim habet; *in his quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem ERRONEAM alicujus Magistri*: ea tamen per fraudem subducis, quibus præfertim

fertim Thomæ Sanchez sententia innititur. Nempe S. Doctor in corpore ejusdem Articuli, suam mentem luculenter explicat, & quid per ea intelligat, qua ad fidem & mores pertinent. Ita enim concludit: *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri, erroneæ scilicet, ut paulò ante dixerat, contra MANIFESTUM Scripturæ TESTIMONIUM, sive contra id, quod PUBLICE TENETUR secundum ECCLESIAE AUCTORITATEM, non potest ab erroris vitio excusari.* At Sanchez loquitur de re morali. Ita est; sed *dubiâ*, ut expressè habet: igitur non erroneâ, nec contra manifestum Scripturæ testimonium, nec contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem. Et hæc omnia, perindè atque si ad rem non facerent, præterire voluisti. Quamobrem verò? quia sententiam Thomæ Sanchez mirificè confirmabant: cui revera S. Doctor suffragatur, qui nunquam distinctiùs & clariùs suam mentem aperuit.

Sed attende ad illa verba, *opinionem erroneam alicujus Magistri*: item ad hæc, *contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem*. Hinc enim rectè deduces, nec Jansenio, nec Arnaldo, nec Sancygirano, nec aliis in pestilenti Portus-regalis Cathedra sedentibus MAGISTRIS fidem habendam esse; cum erroneas opiniones doceant: nec jam ullum, qui iis adhæreat, excusari per ignorantiam: hæc enim crassa est, voluntaria, & affectata: nempe Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ auctoritate palàm interposita, Sectæ hujus errores & Libri damnati fuerunt; & hoc nemo ignorat.

N O T A V.

Quartæ querelæ est, inquis, quod Montaltius multa verba ex variis locis simul connectat, & sic unum locum ex pluribus aliis contexat: sed inanis querelæ est, * cum hæc ad eandem sententiam, eundemque sensum pertineant; nec enim erat, quod ingentes verborum tractus exscriberet, inutili farragine Lectores oneraret, & ineptis næniis *Epistolarum nitorem deturparet.*

Annatus fidei Vestræ sanctitatem, in hac scribendi fallendique arte, luculentis testimoniis, & productis tabulis demonstravit; item uterque Apologista, qui vestras imposturas fideliter, & cum summa laude recensuit: ego, ne jam actum agam, abstineo: præsertim cum prædicta opuscula latinitate donata brevi missurus sim. Ille autem *Epistolarum Montaltii nitor* fucus est; ac proinde hujusmodi mixtionem pigmenta & fucus postulant: additum aliquid decori: multa, immò ferè omnia veritati detracta: ingentes verborum tractus exscribitis, & ineptas nænias inseritis, cum ad rem vestram conducunt. Hoc à Patriarcha vestro Jansenio, hæreditario jure, accepistis; qui vastum illud opus suum, ex innumeris centonibus composuit. Id quoque vitii Arnaldus ab eo didicit. Nulli demùm verborum farragini, nulli fraudi, nulli locorum adulterio parcitis, ut veritatem Catholicam obruatis. His porrò *næniis*, quas per contemptum puerilem ita elevas, tragædiæ vestræ subactæ sunt, unâ catastrophe vobis relictâ. Montaltius demùm vester, ne hanc ejus laudem reticeam, in hac arte consuendi verba & dolos, contexendi loca & fraudes, ita versatus est, ut ty-pographio navasse operam videatur.

Pag. 57.

N O T A

N O T A V I.

Queruntur demùm , inquis , omiffas nonnunquam circumstantias , & exceptiones illas , quibus adjectis , sententiæ longè molliores effent : fed illæ tantùm omiffæ , quæ ad rem non faciunt : & fi quando absque ulla exceptione aliquam opinionem Jesuiticam Montaltius damnavit, id reverà fuit, quod illa in quibusvis circumstantiis damnanda esse videretur. *

Cur amabo , tuis Lectoribus impudenter ac perperam imponis Willelme Wendrocki ? quoties Montaltius hujus criminis accusatus , & convictus fuit ab utroque Apologista , ab Annato , aliisque auctoribus , qui vestras calumnias refutarunt ? Deus bone , quid vobis unquam familiarius , quid antiquius fuit , quàm ut vel ea reticeretis , quæ sensum auctoris inverterent ; vel ea de vestro adderetis , quæ novum inducerent ? in simili delicto paulò antè deprehensus fuisti. Affingebas enim Doctori Angelico gravem clausulam , quæ in ejus textu non legitur ; & aliam reticebas , cujus accessione , Thomæ Sanchez sententia planissima esse videbatur. Sed pro his , ad Annatum , aliosque auctores , quos supra laudavi , te remitto. Nec est , quod tuum Montaltium hac in parte defendas ; in qua nihil est quod defendi possit : non veritas prodita , nec prostitutus honor , nec religio perdita. Quid aliud quæso defenderes ? & verò spongiæ potius , quàm styli opera adhibenda fuit , ut Montaltii litteræ & calumniæ refellerentur. Vis dicam ingenuè , quod sentio ? Universam illam litterarum farraginem , una litura pro dignitate refelleret.

* *Pag. 57.*

N O T A

In quintam Epistolam.

N O T A I.

S I V E

Dissertatio Theologica de Probabilitate.

S E C T I O I.

Controversiæ status exponitur.

§. I.

Cavilli Jesuitarum, laus Parochorum.

Cavilli Janseniani toti orbi Christiano innotuerunt: Annatus aureo suo libello, illos palam fecit. Cur ergo Cavillos Jesuitis attribuis? * an fortè calami error est? vel amanuensis? vel typographi? Cavillationes Jesuitarum scripsisti. *Jansenistarum* scribere voluisti; debuisti saltem. Sint ergo tibi Cavillationes tuæ: & ne id deinceps Jesuitis affingas, quod Jansenistis jure competit. Quid enim aliud aliquot ab hinc annis Jansenistæ vestri gesserunt? libros edunt, quâ prosâ, quâ versu: operas & præla fatigant: calumnias & rumores spargunt adversus Jesuitas: Sorbonam, Galliam, totam ferè Europam factionibus, tumultibus, conspirationibus suis agitant: nihil ferè iis inaccessum, nihil intentatum, quâ vi, quâ dolo: nullum lapidem non movent, ut res illis pro votis succedat; id est, ut errores suos defendant, & Jesuitis, quos immortalis odio

* Pag. 73. & 74.

odio prosequuntur, populorum odium, Episcoporum invidiam, Primatum suspicionem concilient. Vis unico verbo dicam, & cuncta in brevem summam redigam? perpetuò cavillantur.

Dicis tamen Jesuitas cavillari, dum suam de probabilitate sententiam exponunt, eamque *variis occultant restrictionibus*; in hanc rem, citas imposturam 20. Quid porro ibi legis? Suarez disp. 12. de bonit. & malit. illam opinionem vult esse probabilem, quæ nec Ecclesiæ Catholicæ sensui, nec communi omnium repugnat, & tum ratione, tum auctoritate omni exceptione majorè nititur. Quid in his quæso cavillationis, quid occulti, quid ambigui? Et tamen cavillos vocas. Nisi cœcutias, mi homo, & tu ipsemet cavillêris; nullus unquam cœcutiit, nec cavillatus est.

Quænam porrò illa sunt perversissima confectaria à Jesuitis audacissimè defensa? Pro his citas impost. 21. & 23. Ad pœnam libri. quid eo loco legis? ex duabus opinionibus probabilibus minùs probabilem, & minùs tutam amplecti licet: pro quo Duvallius, Gamachæus, S. Antoninus, exscriptis locis fideliter citantur. Supra centum auctores, pro hac sententia, si ita jubeas, adducam. Perge porrò: Confessarius deposita opinione probabili, quam tenet, sequi potest oppositam probabilem sui pœnitentis: pro quo quadraginta sex auctores citantur. Et hæc perversissima confectaria vocas? cur nova nomina rebus imponis? bonum malum, & malum bonum vocas. Damnosos errores Janseniani nobis obtrudunt; & inconcussa divinæ fidei dogmata intolerantiùs jactas: Morales Theologi propositiones adducunt probabilissimas; tu verò errores, hæreses, perversa confectaria clamas.

Tum

Tum in Parochorum Parisiensium laudes effusus,
* quorum scilicet pietatem, eruditionem & singu-
larem in detegendis erroribus (: adde sis, in affin-
gendis calumniis :) illustranda veritate (: dic obscu-
randa :) & evolvendis hujus quæstionis nodis (: lon-
gè meliùs, involvendis & implicandis :) industriam
mirabiliter exaggeras : pro re bene gesta, de re Chri-
stiana bene meritis triumphum adornas. Quid porro
illud ? *geminam, inquis, actionum humanarum normam,
divinam legem & rectam conscientiam à Casuistis ever-
sam restituerunt, hoc duplici dogmate Catholico :*
Primum est, *opinionem probabilem falsam in jure na-
turali à peccato non liberare :* Alterum, *ex probabilium
opinionum conflictu, tutiorem & probabiliorem partem cli-
gendam.*

Egregiam verò laudem Willelme optimis Pa-
rochis, non sine contumelia tribuis, malim pro-
fectò à te vituperari, quam laudari : malim esse
Jesuita, quem convitiis, quàm Parochus, quem
similibus elogiis cumules : nempe Jesuitarum sa-
nam doctrinam, religiosos mores, & ardentissi-
mum, quo ipsi ducuntur, procurandæ hominum
salutis studium vituperas ; Parochorum verò in-
quam factionem, manifestam ad Jesuitas opprimen-
dos conspirationem, & quod pejus est, crassissi-
mos errores, & placita heterodoxa impensè laudas.
Geminam, inquis, humanarum actionum normam,
legem scilicet divinam, & rectam conscientiam restitue-
runt. Ubi verò lex positiva ? ubi sacri Canones ? ubi
Decretales, & Apostolicæ Constitutiones ? ubi Con-
cilia ? ubi sancta Sedes ? Gemina illa norma à neoteri-
cis sectatoribus ultrò admittitur : quid ergo inter vos
discriminis intercedit ?

At si fortè in prima illa, scilicet in lege divina
* Pag. 74. aliquid

aliquid dubii vel ambigui suboriatur; quid opus factum? Altera regula, inquis, consulenda restat, conscientia recta. Nempe lex illa cordis, ille spiritus interior, utique Calvinianus: eò Moralis vestræ analysis reducitur, ut ex iis, quæ paulò post dicam, perspicuum fiet.

Præterea, pro indubitato fidei dogmate primum illud habes. *Lutherana* quidem & *Janseniana* addere poteris, sed non *Catholica*. Deliras opinor, & somnias Wendrocki: Montaltii Litteræ te ad insaniam redigunt. Opinio probabilis falsa peccato non eximit? error tamen inculpatus scilicet, & ignorantia invincibilis eximit; quod nemo neget, nisi hæreticus, aut Jansenianus, ut jam suprâ breviter inculcatum est: potiori ergo jure opinio probabilis, quantumvis falsa. Tu verò, dum oppositum adstruis, ignorantiam tuam, non invincibilem, sed incredibilem palam facis. Quis enim nescit, multa esse ac ferè innumera, de quibus utrinque probabiliter tantum disputatur, utrum sint naturali jure vetita? Igitur quisquis aliquid istorum fecerit fide quantumvis bona, te judice peccabit; nempe reus delicti cujus periculum subit. Sed vide sis, ne, dum sic alterum injustè judicas, te ipsum justè condemnes. Quid porrò responsi dabis si in controversiis juris naturalis de restitutione facienda dubius quispiam te consulat? Si neges debere restitui, eris auctor retinendi rem alteri fortè debitam: si affirmes, geminam culpam contrahes: quia consulenti onus imponis fortè falsum, quod digito nolles attingere; & alter, quod sibi fortè non competit, injustè recipiet. undique igitur angustia. Alterum etiam pro dogmate fidei venditas; quod tamen vix opinio probabilis est, cum oppositum longè probabilius esse videatur. Utrumque fusè sectionibus se-

quanti-

quentibus explicas: tuis vestigiis insistam, non sine copioso tuorum errorum spicilegio.

Quàm porrò in Parochos Parisienses injuriosus sis, quibus tam enormia, per calumniam, opinor, ultrò affingis; vix oratione complecti possum: nec ipsi (saltem hoc mihi facile persuadeo) restituendæ actionum humanarum normæ operam navant. Quid enim ad illos attinet? longè diversæ Provinciæ obnoxii sunt. Quæ ad sacros ritus pertinet, exhomologesim, sacram synaxim, extremam unctionem, Matrimonium, diversas benedictiones falis, aquæ, panis, ovorum, exorcismos, exequias, sepulturam, puerorum ac rudium institutionem in primis doctrinæ Christianæ elementis, aliæque id genus, quibus Curionum munia comprehenduntur; his, opinor, Parochi Parisienses vacant: non verò definiendis ac restituendis doctrinæ morum & fidei regulis. Et si qui fortè per ignorantiam, illud sibi munus arrogent, ac sese ingerant; suus erit haud dubiè vulgari parœmiæ locus: *Ne sutor ultra crepidam.*

S. I I.

Quid sit opinio Probabilis.

DE opinione probabili, parum probabiliter hoc loco differis: * ut vel inde verisimile reputem, ignorantia potius quàm malitia te laborare. Tria Propositionum genera initio statim agnoscis, verarum scilicet, falsarum, & probabilium. Egregia sanè divisio, rudi etiam tyrone indigna. Quali verò sententia probabilis, vera aut falsa non sit. Vis autem illam probabilem esse, *cujus nec veritas, nec falsitas cer-*

* Pag. 74. & 75.

tò percipitur. Quisquis ergo nihil penitus scit, innumeras habet probabiles sententias. Sic appositè ignorantiam à probabilitate non distinguis: in quo turpiter hallucinaris.

Nempe illa sententia probabilis est, quæ ratione probabili & gravi auctoritate nititur, & contra quam opposita etiam probabiliter refelluntur: equidem illius veritas aut falsitas certò non constat: multa enim sunt, quæ mentis humanæ oculus perspicuè non penetrat; appulsum tamen probabilis veritatis lumen omninò sufficit, ut mens probabilem assensum præbeat, cum aliqua licèt formidine conjunctum. Quòd autem multi, ut dicis, pro certis nonnulla venditent, quæ ne probabilia quidem, aut vicissim pro improbabilibus, quæ alioquin certa sunt; id paralogismo & nativæ hominum hallucinationi tribuendum: item quòd uni probabile videatur illud ipsum, quòd alius improbabile reputat, vel negligentia, vel diligentia utriusque est. Nimirum sæpè accidit, ut vel ratio, vel solutio argumenti uni veniat in mentem, non verò alteri.

Neque id quòd sub finem asseris, veritati consentaneum est; *ideò **, scilicet, *quidque tantum probabile judicari, quia veritas ignoratur.* Melius dixisses, illud esse probabile; quòd probabilis duntaxat ratio persuadet: illa porrò ratio probabilis censetur, quæ ita mentem ad prudentem assensum movet, ut non necessariò trahat seu rapiat, sed liberum ei dissensum relinquat. Illud demùm *probabile in moribus esse subnectis, quòd tale videtur doctis, piis & acutis.* Locum extrinsecum duntaxat adhibes, ab auctoritate petitum: sed cur illud *acutis* tertio loco subnectis? Quasi verò solidum ingenium hac in parte non sit acuto anteponendum. Cæterùm Willelme hinc tuam fidem imploro, putasne

* *Pag. 75.*

Janfenistas Jesuitis doctiores esse, aut magis pios, quibus scilicet in sententiis probabilibus definiendis, majorem populus fidem habere debeat? Id tibi fortè arrogas. Agedum, doctiores illos, ut producas, velim. Appellabis statim Jansenium, Sancygiranium, Arnaldum, auctores scilicet à S. Sede damnatos: Jesuitæ mille præstantiores pro tribus illis adducent.

SECTIO II.

De I. Probabilistarum axioma.

*Probabilem omnem opinionem etiam falsam,
& Legi Divinae contrariam, à peccato
coram Deo excusare.*

Ejus falsitas ex S. Thoma demonstratur.

UT probes auctoritate Doctoris Angelici, erroneum illud axioma Parochorum Parisiensium, scilicet opinionem probabilem falsam in jure naturali neminem peccato penitus eximere; primum locum adducis, ex quodlib. 8. art. 13. sed perperam omninò: * si enim aliquis adhibet diligentiam, inquirens, an habere plures præbendas sit licitum, nec invenit aliquid, quod ipsum moveat, ad hoc, quod sit illicitum, ergo videtur, quod sine peccato plures possit præbendas habere. At fieri potest, ut sit contra legem divinam, habere plures præbendas: igitur non peccabit, licet per ignorantiam contra legem divinam faciat: igitur peccat, quando hæc ignorantia est crassa, affectata, cum dubio conjun-

* Pag. 76. & 77.

cta: qui enim dubiùs de peccato aliquid agit, haud dubiè peccat. Sic enim concludit S. Thomas: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem (ne scilicet peccatum inlit:) inducitur, & sic non peccat: licèt id faciat, quod materiale peccatum est. Poteratne adduci textus magis expressus, ut principium illud erroneum confutaretur? hunc tamen impudenter adducis pro illius confirmatione: & nihil, ut dicis, loco illo planius, nihil evidentius.*

Alium locum quodlib. 9. art. 15. describis, ubi hæc habet S. Doctor: *Error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto.* Loquitur S. Doctor de errore crasso, & affectato, non verò de invincibili. Idem prorsus repono ad tertium textum, quodlib. 3. art. 10. Vbi legitur: *Nullus excusatur si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri: Erroneam scilicet, affectatè, crassè, non verò invincibiliter; ut patet ex primo textu citato.* Sic profectò Jansenius vester Augustinum citat pro suorum errorum confirmatione, ut ab aliis demonstratum,

S. I I.

Idem Probatur ex Scriptura & Patribus.

STatim vocem illam à Parisiensibus Parochis allatam intonas: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Igitur inquis, qui sequitur opinionem probabilem falsam, in foveam corruet. * O subtilem & acutum Logicum! Quasi verò ignorantia, vel cæcitas affectata & voluntaria, quæ revera Pharisæi tenebantur, opinionem probabilem faciat. Quis Tyro

* Pag. 77.

tam supinè peccaret? cæcitas affectata errorem facit, vel opinionem erroneam affectatam: quantum hæc à probabili discrepet, quis, amabo, ignoret, non Theologus, sed rudis & novitijs Theologiæ candidatus? Adducis alium locum, quem & ipsi Parochi protulerunt: *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem.* Videtur, inquam, per ignorantiam, crassam & voluntariam, non verò inculpata & invincibilem.

Hic fateris ultrò, opinionem probabilem falsam ab erronea non differre. In quo sanè turpiter erras. Nam erronea probabili ratione non nititur, sed communi Ecclesiæ testimonio repugnat: hinc opposita certa est. Quis hoc de probabili dicat? erras, inquam, Willelme, non tamen inculpato errore, quia doceri non vis. Sed, iniquis, sunt quidam errores, qui difficilius & à paucioribus deprehenduntur, & hi vulgò probabiles opiniones censentur. Vah stultum caput! quinam sunt illi pauciores? Jansenistas intelligis. Sed quis eos Judices constituit in re morum & fidei? Ad Ecclesiam, mi homo, non Portus-regalis, sed Romanam, ad Sanctam Petri Sedem, pro his judiciis veniendum est. Sed illam horretis, quæ vos erroresque vestros diro anathemate perculit.

* Quod subnectis de repudio, ignorantiam tuam luculenter demonstrat. dicis enim nunquam repudium Judæis licuisse, & hoc constanti Patrum traditione constare. Sic imponis, Willelme, ignaris & simplicioribus. Quis enim nescit, indissolubile matrimonii vinculum divina lege initio fuisse institutum; in hac deinde per Moysen Dei jussu, ad majus malum vitandum, fuisse dispensatum (sic enim vocant), id est, indultum, ut hoc vinculum propter graves aliquas causas dissolvi posset: ac demùm à Christo

nova lege, indultum illud repudii abrogatum ac revocatum fuisse. Ita D. Thomas, Scotus, Durandus, Paludanus in 4. dist. 33. aliique ferè innumeri. Sed hos fortasse Casuistis aggregasti: nec eorum calculos numeras.

Tertulliani locus de spectac. cap. 20. ad rem non facit. Quis enim illud excuset, quod Deus damnat? at quod usum & praxim opinionum verè probabilium Deus unquam damnarit, nemo hæctenus probavit. Idem dico de Augustini loco homil. 12. perperam enim homo promittit, quod non promisit Deus. homo enim falli & fallere potest; si tamen illum excipiamus, qui Dei nomine, cuius vices agit in terris, ex Cathedra Petri, toti Ecclesiæ oracula fundit.

Ad Bernardi locum venio lib. de præcept. & disp. cap. 14. * *Quod à nesciente fit, inquit, & bonum, prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta. . . Licet leviùs admodum peccetur, ubi sana intentione, sola reprehensibilis actio foris apparet.* Quorsum hæc Willelme? quia ibi non est peccatum, ubi non est voluntarium ac liberum; si nihil est prorsus voluntarii, nihil relinquitur peccati; hujus tamen leve saltem aliquid est, si aliquid voluntarii insit. hoc ipsum est, quod Theologi & Casuistæ dicunt; ad peccatum grave, lethale scilicet, plenam deliberationem requiri; ad leve, quod vulgò veniale vocant, semiplenam sufficere: hinc primi motus non imputantur ad culpam, quia libertatis usum præveniunt. Sed bonus sum, qui tecum de rebus Theologicis ago; quarum te ignarum, & imperitum esse, comperitum est.

* Pag. 79.

§. III.

Theologicis argumentis convellitur probabilitatis commentum.

AD tuas tandem rationes venio, quibus superba principiorum nomina temerè arrogas, ex Theologiæ scilicet Sancygiranæ, & Scripturæ scilicet Jansenianæ, sacris & hucusque inaccessibleis aditis, si superis placet, erutas. Sic igitur ratiocinaris: * sine gratia, nullum opus bonum fieri potest: numquam gratia est sine cognitione veritatis: & nunquam veritas cum opinione probabili falsa; igitur ex opinione probabili falsa, bonum opus fieri nequit; immò cum eadem peccatum semper conjunctum est; quia sine divina gratia nullum opus bonum fieri potest. Et hoc principium tuæ demonstrationis vocas.

Credideras fortè, vel nos esse totidem stipites, vel nunquam fore, ut tua lucubratio in manus nostras veniret. Sed relegamus, quæso, tua vestigia: nullum opus bonum, inquis, sine gratia fieri potest. At, opus bonum naturali bonitate, quod scilicet ad salutem nihil conferat, contra Jansenium & Bajum, à Doctoribus Catholicis, sine gratia fieri posse, habemus. Illa igitur propositio, quam aliis præmittis, falsa est. Sed pergis: nunquam est gratia, sine cognitione veritatis, quam in animum semper immittit, ut & charitatis ardorem. Hæc etiam falsa est: nam gratia actualis, de qua hoc loco agitur, cum habituali, ut vocant, sæpè ac sæpiùs non est conjuncta; igitur nec cum charitatis ardore. Prætereà gratia, quæ ad recipiendam fidem nos movet,

* Pag. 80.

cum divina fide non semper conjuncta est. Denique quod ignorantia inculcata cum divina gratia, tum habituali, tum actuali stare non possit, supponis quidem, sed non probas: neque mirum, cum erroneum sit. Et hoc Tridentino affingis? Restat igitur, falsum esse, quod inde concludis, scilicet ex opinione probabili bonum opus fieri non posse. Falsum etiam, quod subnectis, omne opus malum esse, quod sine divina gratia fiat. Nempe vel indifferens, vel etiam bonum bonitate illa naturali esse potest. Illud porro quod adducis, sine Spiritu Sancto nihil esse innoxium, cum Ecclesia canat, *sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium*; male accipis. Sensus est, sine Spiritu Sancti auxilio hominem à peccato abstinere non posse. Et sic miserè ludis, magnumque agis Theologum.

Secundo loco sic ratiocinaris: peccatum est factum, dictum, concupitum, contra legem æternam (legem humanam facile omittis;) sed opinio probabilis falsa ab æterna lege diffidet; igitur peccat qui illam sequitur. Vix me teneo, quin te ex Theologorum albo expungam. quid enim quæso illud est, *factum*, vel *dictum contra legem Dei*? dic age Wendrocki: hujus artis haud imperitus, erit fortè quod nos doceas. Illud est, opinor, quo lex Dei violatur. v. g. lex divina mendacium & calumniam vetat: dum mentiris Willelme, & calumniaris, legem æternam violas. At quæ lex vetat propositiones probabiles, earumque usum proscribit? nulla prorsus. Igitur opinio probabilis vel ejus usus non est factum, concupitum contra legem æternam; igitur peccatum non est. Nec à justitiæ regula opinio probabilis desciscit, nec à Deo, qui justitia est,
 animum

animum avocatur, nec bonæ voluntati repugnat, cum quâ ignorantia invincibilis societatem inire potest: & licet voluntatis bonitas ex lege æterna pendeat; non tamen, ut dicis, opinio probabilis etiam falsa, cum lege æterna pugnat. Loca illa, quæ * adducis; *justus ex fide vivit, & quod non est ex fide peccatum est*, ab auctoribus in bono & Catholico sensu explicantur: tu vide sis.

Sed quis non miretur, hominem mille scatentem erroribus, iisque crassis & affectatis in opiniones probabiles tam acriter invehi? In multis urgere possem: hoc unum præ cæteris occurrit. Ad sacram synaxim lethali culpa inquinatus accedere non debet, ut constat ex Tridentino & communi Ecclesiæ usu. Cùm eò accedis, Willelme, an certò scis, te nulla mortali noxa teneri? minimè verò: hoc enim nemo scit: igitur probabiliter duntaxat tenes. Cur igitur in aliis damnas, quod tu ipse admittis? nugas tuas referre pudet, sed quandoquidem errata tua emendo, facere non possum, quin ea notem.

† Deinde eundem errorem tuum ex eo confirmas, quòd *Christus sit Veritas*, quòd *Deum adoremus in spiritu & veritate*, quòd *omnes via Domini veritas*, quòd *Christus miserit spiritum Veritatis*, quòd opus bonum sit opus lucis, quòd *sermo Christi judicaturus sit homines in novissimo die*, quòd sint peccata ignorantia, quæ damnabilis est omnibus adultis, si est juris naturalis. Quid porrò ex his concludis? probabilem opinionem, si falsam esse contingat, non excusare. Profectò consequentiæ vim non capio; nec illa mihi probabilis est; ne dum evidens & certa. Quis enim neget, Christum esse *Veritatem*, id est, *Veritatis Doctorem*, à quo veram fidei & morum

D 4

doctri-

* Pag. 80. † Pag. 81.

doctrinam accipimus: at præter ea quæ certa fide tenemus, quis neget alia multa esse quæ nobis perspicua non sunt, tum in rebus Theologicis, tum in Moralibus? ac proinde probabiliter dumtaxat de iis judicamus. Ita est, inquis; sed si id falsum esse contingat, quod verum probabiliter existimabam, illa me probabilitas nullatenus excusat. Igitur cum conscientia dubia operaris. Igitur etiam peccas, licet opinio illa, quam probabilem reputas, vera sit; quia prudenter dubitas, an falsa sit.

Adducta loca non difficilè explicantur, tu vide sis apud auctores, Annatum, Martinon, Stephanum Deschamps, aliosque ferè innumeros. Non admitto, inquis, eorum interpretationem. Nec illi tuam. In sensu Patrum, inquis, intelligo: illi quoque mentem Patrum se affecutos ajunt. ecce tibi litem. Sed quis Judex? Ecclesia inquis, cujus recto judicio Moralis Jesuitarum disciplina damnata est. Sed quænam est illa Ecclesia? Senonensis, Bellovacensis, Convenarum, Sanctorum Pauli vel Rochi? erras mi homo, erras. Ecclesiæ judicio stamus, sed Romanæ & Catholicæ, quæ doctrinam Jansenii damnavit, & Baii propositiones confixit, inter quas illa meritò censetur, quæ asserit, ignorantiam invincibilem non excusare; neque hanc unquam Gratianus, Augustinus, Christus; à peccato liberare negarunt ut à citatis auctoribus demonstratum est.

Quæris demùm * ex Casuistis, utrum verè probabilem opinionem tutam esse certum sit? Utique, certum esse dicunt; & hoc in rebus Moralibus principium statuunt: illum operari prudenter, qui ex opinione verè probabili operatur. Ex probabiliori, inquis. Esto, nam hæc, dumtaxat probabilis est, non certa. at lumine naturæ notum est, tutum esse, prudenter

* Pag. 82.

denter operari: inimò hæc ex Scriptura & Patribus etiam habemus; & Christus prudentiam præ cæteris in servo fideli laudavit. Præterea Jesuitæ facile argumentum retorquebunt: & quærent ex te, utrum probabiliorem opinionem tutam & securam esse certum sit? Annuis, tutam esse. At fieri potest, ut etiam falsa sit: igitur ex tuis principiis tuta non est; igitur incertum an tuta sit. Tenendam tamen esse vis. Si verò dicas securitatem probabilem satis esse, ad hoc, ut quis prudenter operetur: idem quoque facile responderem ex præmissis Jesuitarum principiis, probabilem scilicet opinionem probabiliter tutam esse; quamquam certò tutam esse contendo: tutam autem appello, quæ peccatum excludit. Jam sumus ergò pares, si in probabili securitate sistamus. Sed eâ non contenti, ut dixi, certi sumus, sententiam in re morum verè probabilem, tutam esse; nisi aliud præceptum obstet, de quo infra: & hoc ipsum naturæ lumine notum esse contendo, nec oppositum, meo iudicio, cum rationabili fundamento teneri posse.

Hic porrò distinguunt auctores tutam formaliter, à tuta etiam materialiter; item tutiorem à probabiliore. Illa opinio est tuta formaliter, non verò materialiter, quam quis reverà probabilem putat, idque per inculpatam ignorantiam, licèt reverà probabilis non sit. Quod autem fas sit eam sequi, vel eligere, vel ea uti, mihi certum videtur: alioqui ignorantia inculcata à peccato immunis non esset; quod sine aliquo errore dici nequit. Hinc fit, omnem opinionem verè probabilem, non modò formaliter, verùm etiam materialiter tutam esse; id est illius usum, seclusa etiam ignorantia, ab omni culpa liberum esse: licèt altera ex duabus tutior dici possit, quod scilicet tutius ac certiùs ad salutem conducat. sic, v. g.
post

post admissam lethalem noxam statim animum exhomologesi purgare, tutius est, quàm salutaris usum remedii differre; differre tamen per se tam excludit peccatum, quàm non differre: igitur, quantum ad hoc, utraque opinio æquè tuta est, tum formaliter tum materialiter. sed de his fusiùs infra.

S E C T I O I I I.

Idem probabilitatis commentum quibusdam ejus Consectariis evertitur.

§. I.

Consectarium primum.

SI probabilis opinio sufficeret, frustra, inquis, homines cognitionem veritatis à Deo peterent; immo ipsa veritas fugienda esset, qua semel cognita oppositum non licet. Ita prorsus Jansenius, Calvino præeunte, docet, frustra divinam gratiam fufis ad Deum precibus peti, si gratia sufficiens nunquam deest. Quasi verò cognitio veritatis supernaturalis, non sit donum Dei, quod à Deo flagitare possimus; & multæ nobis cognitiones non desint, * ad salutem necessariæ, vel utiles, quas vult Deus, ut ab ipso petamus; & grave aliquando periculum non sit, ne culpando errore ducamur: ac proinde Deus exorandus, ut ab eo liberemur. adde alia ferè innumera, quæ, ut in via Domini rectè ambulemus, divini luminis appulsu cognoscere dumtaxat possumus. Quod subnectis, juxta hujus doctrinæ principia, *veritatem potius sugendam esse, & merè opinantium meliorem conditionem videri, quàm eorum, qui veritatem*

* Pag. 83.

tatem

tatem certò cognoscunt; frivolum est, & puerile. Pariter ego dicerem, meliorem esse ebrii, vel delirantis conditionem, quàm hominis temperantis & sapientis; quia hic in multis peccare potest, quæ licèt ille admittat, non peccat. Sic voluntatem Domini sciens, & non faciens, vapulabit multis, & paucis nesciens. Apage igitur plusquàm aniles nugas.

§. II.

Confectarium secundum.

SI verum est, inquis, quod Escobarius dicit, duas Opiniones probabiles oppositas ex æquo securas esse, frustra litigant Theologi, utrùm hoc, vel illud liceat; falluntur enim, qui negant licere. Argutulus videri vis, dùm adeò pueriliter exultas. Sed hæ bullæ facilè diffiantur. Nam primò opiniones æquè probabiles, sunt æquè securæ formaliter; ut nemo negat, nisi fortè quis Jansenii de grege: si verò altera probabilior; sunt qui dicant, pauciores licet, teneri quempiam ad probabiliorem, atque adeò minùs probabilem tutam non esse; igitur non æquè tutam: qui verò illum negant teneri, minùs probabilem tutam esse dicunt; & inter hos aliqui minùs tutam: cùm enim, inquiunt, opinio probabilis, in re morali, sit probaliter tuta, quid mirum, si vel magis, vel minùs probabile sit, tutam esse? At dicendum mihi videtur omnem opinionem verè probabilem certò tutam esse; ita ut hæc sit universalis sententia: certum est, omnem opinionem verè probabilem tutam esse; nisi obstet, ut dixi, aliud præceptum; ac proinde æquè tutam: iminò cum
esse

esse tutam, sit tantum peccatum excludere; peccatum excludi non potest magis vel minus, quod scilicet in indivisibili positum est. Hinc eo ipso, quod aliqua opinio non est tuta, non est verè probabilis; & vicissim. quid sit autem opinio verè probabilis, infra dicam. Theologi ergo frustra non litigant, ut stultè garris: investigant enim, utra duarum sit probabilior; vel utrùm potiùs utraque sit probabilis. aliqui negant, id licere, quod est minus probabile; alii probabile putant, quempiam non teneri ad probabiliorrem partem. Verum hi admittere debent non modò probabile esse, verum etiam certum ad quamlibet probabiliorrem non teneri; alioqui si tantum probabile esset, *non teneri*, igitur falsum esse potest, *non teneri*: sit igitur falsum: igitur verum erit, *teneri*; igitur peccarent qui sententiam illam minus probabilem sequerentur, nisi fortè ignorantia inculcata intercedat; sed non peccant, ut hi Doctores fatentur: igitur non est verum, *teneri*: igitur certum *non teneri*. Nec obstat exemplum Medici, Judicis, & Sacramentorum Administri, qui rejecta minus probabili, probabiliorrem in sua quisque materia præferre tenentur: hæc enim obligatio à singulari præcepto petitur, quo Medicus salutem ægri, Iudex partium juri, Administer denique Sacramenti confectioni consulere tenentur.

Ad id porrò, quod addis, de opinione probabilis speculative tantum, non practice; dico breviter, quod res est: aliquas esse opiniones, quas non est certum, probabiles esse, sed valde incertum; hinc licet speculative loquendo, utcumque probabiles dici possint, scilicet probabiliter; quia tamen maximum periculum est, ne sint improbables, ideò in praxi parum tutas esse constat; & cum verè probabilis tum speculative, tum practice, satis superque tuta sit,

sequitur,

sequitur, illas non esse practicè probabiles, licèt aliquid præferant probabilitatis. Si hæc caperes Willelme, vel taceres: quod longè consultius esset, vel alia scriberes, quod ut facias, tibi auctor sum, ut scilicet perperam dicta retractes; dabis tamen operam, ut alios auctores consulas, & libros legas, quàm Parochorum Scripta, quæ hic compilasti: idem dico de libro Matthæi Homem, qui cum Theologus non sit, quod ultrò ipse fatetur, immò ne Philosophus quidem, in multis hallucinatus est; & verò non erat, quod in messem alienam falcem mitteret, ne sutor ultra crepidam.

§. III.

Confectarium tertium.

Sed apud Patres, inquis, hujus doctrinae ne vestigium quidem apparet. *

Ita Calvinus Patribus, præsertim Augustino suos errores affingit; ita Jansenius aliique hujus fursuris homines. Quasi verò Patres non supposuerint, humanis actionibus certam & evidentem cognitionem sæpè ac sæpius non prælucere. Pauca sunt, quæ certa fide tenemus; pauca in moralibus certa, si quædam universalia principia excipiam. Equidem certum est, Christianum ad jejunium teneri ex lege Ecclesiastica: infirmum non teneri, certum etiam est: nec etiam eum, qui propter laborem plus cibi postulat: an verò teneatur, qui minùs gravi infirmitate laborat, aut qui minorem operam labori suo impendit, incertum est; ac proinde disputatur, adductis utrimque rationibus probabilibus. Sic malum est, hominem occidere; non tamen malum, vim vi repellere.

* Pag. 83.

repellere, cum moderamine, ut ajunt, inculpatæ tutelæ: & utrumque certum: incertum verò, an liceat occidere ad justam bonorum defensionem; hoc etiam Theologi disputant. Nec dubium, quin Patres hanc doctrinam semper supposuerint, vel ipso naturæ lumine notam. Non tamen propterea sanctus tremor ablegandus est, quem ipsi Patres præ se tulerunt. multa enim adhuc timenda restant, v. g. occasio peccandi, tentatio gravis, humana infirmitas, crassus error, ignorantia affectata, diaboli fraudes, aliaque id genus, quæ sanctis etiam hominibus non parum justæ tremoris incutiunt: nec quisquam scit, utrum amore, vel odio dignus sit. & hæc justæ sunt timoris causæ.

§. IV.

Consecrarium quartum.

FAcit, inquis, prædicta Probabilitatum doctrina, ut salutis via quotidie planior & facilior evadat; & hinc *cœcitatem, vanitatem & audaciam* Casuistarum exaggeras, immò *absurditatem, & impietatem*, qua scilicet velint, his postremis temporibus facilius quam priscis, ad æternam salutem perveniri.

* Aliquem appellare debueras, qui hoc dicat. Quod enim aliqua opinio modò probabiles sint, quæ antè improbables erant, & vicissim, ut nemo negat, cum etiam novæ indies demonstrationes prodeant: planiorem salutis viam non efficit; multa enim quotidie restringuntur, idque in omni ferè argumenti genere. In re venerea, & Simoniâ de jure divino, Jesuitæ omnes ne materiæ quidem parvitatem agnoscunt. Quot novæ Leges, & novæ Decreta, quibus adstrin-

* *Pag. 84.*

adstringimur, cum tamen ab iis majores nostri immunes essent? Quàm multa à Concilio Tridentino reformata atque restricta? Vno verbo, erunt fortè, qui salutis viam difficiliorem his temporibus esse arbitrentur: atque adeò dicere ausim, disciplinam morum à Jesuitis non modò non relaxatam, sed non mediocriter restrictam fuisse. Quàm multa enim Navarrus, Cajetanus, Sylvester, Fumus licita putarunt, quæ à Jesuitis licita esse negantur? Sed video finem, quem Jansenistæ sibi proponunt. Suave Christi jugum & onus leve invident hominum generi, cui, more Pharisaico, onera importabilia imponunt, quæ ipsi digito suo ne quidem movere velint.

§. V.

Confectarium quintum.

Hic etiam convitari & nugari pergis; vis enim, ex illo probabilitatis fonte tam *horrenda*, tam *impia* prodiisse, quorum pars tum in Montaltii Litteris, tum in Parochorum Scriptis descripta fuit, pars verò pudore compressa. *

O misericordes & pudibundos homines! quidquid convitii, veneni, calumniæ, affingi, excogitari, spargi potuit, liberali & impudenti manu sparserunt; & parci ac pudentissimi videri volunt. Erras deinde cum dicis, ex privatis erroribus probabiles opiniones ortum duxisse; quasi verò erroris tenebræ pariant lumen, probabilis saltem veritatis. In hoc autem luculenter hallucinans, quod idem putas, *esse reverà*, & *videri probabile*. Ut enim aliqua vera videntur & certa, quæ nec vera, nec certa sunt, ita aliqua videntur probabilia, quæ probabilia non sunt. Quod Deistarum hæresim Jesuitis

tis exprobras, risum potiùs, quàm stomachum movet. Quod dicis errorem cuique suum probabilem esse, erroneum est; dicere debueras *videri*. videri autem probabilem non excusat; quia scilicet error est; nisi fortè invincibilis & inculpatus sit: illud autem excusat, quod reverà probabile est; tunc enim prudenter agitur, quando circa id actio versatur, quod bonum esse, vel malum non esse, verè probabilis ratio demonstrat. Probabilis demùm ratio illa est, quæ sufficienter intellectum non præoccupatum, nec vitiatum ad prudentem assensum movet; dummodò nulla ratio opposita contrarium evincat.

Hinc si fortè accidat, opinionem verè probabilem falsam esse, ac proinde falli eum, qui illà ducitur; non culpandæ, sed inculpatae ignorantia tribuendum est; cum probabilia aliter sciri vel cognosci non possint; nec Deus homines obliget ad impossibile; Calvinistis, immò & Jansenistis frustra licet obstrepentibus. Huc spectas Willelme: damnata Jansenii placita ob oculos semper habere videris. Nec est, quod Jesuitis religionum adiaphoriam attribuas; sectarii hætenus senserunt, utrùm Jesuitæ illorum dogmata suo calculo donent.

Quid porrò aliud Thomas Sanchez à te adductus dicit? nisi, hæreticum inculpata ignorantia laborantem non teneri sectam mutare: alioquin, invincibilis non esset. Idem Eradus Billius, idem omnes Doctores verè Catholici docent: puerum scilicet baptizatum, hæresim ab iis, à quibus in rebus fidei instituitur, sibi propositam credere sine peccato; modò scilicet, quod reverà omnes supponunt, invincibili laboret ignorantia. Sic in iis regionibus, quibus nullum fidei Catholicæ lumen affulget, multos ignorantia invincibili teneri constat, ac proinde esse materialiter

terialiter dumtaxat, ut vocant, non formaliter hæreticos. Longior ille dialogi tractus, quem describis, * instituti, scilicet, inter Valerianum Magnum & Bafanomenum, ab auctore suo omitti potuit; quanquam illius Lutherani placita non approbat, immò saltem tacitè improbat. Centies demùm tuum illud recantas: probabile falsum peccato non eximit. Sed, si verè probabile sit, haud dubiè peccato eximit; cum ignorantia illa inculpata censeatur, quæ non modò probabile, verùm etiam errorem atque hæresim à peccato liberat.

* Pag. 86. 87.

§. V I.

Confectarium sextum.

CRiminationes & calumnias hîc ultra modum amplificas. Vis enim à Jesuitis doceri, eam quæ cuique probatur, opinionem, probabilem esse, atque adeò hæresim hæreticis esse probabilem.*

Luculenter hallucinaris, Willelme; qui existimas, ideò aliquid reverà esse probabile, quia alicui probabile videtur. Falleris mi homo, falleris: nullus Jesuita id tibi concedat. Nempe aliud est, ut jam dixi, esse probabile, aliud, videri probabile: nec probabile dicitur per merum respectum ad intellectum unius, sed multorum, ut constat ex iis, quæ supra digessi: alioquin idem esset probabile & improbable, quod vel dictu ridiculum est. Scio, nonnullis videri improbable, quod aliis probabile videtur; sed alterutrum falli, necesse est; cum idem non sit, esse & videri. Nempe, quod est probabile, per respectum ad omnes mortalium intellectus probabile est; licet nonnullis certum, aliis improbable

* Pag. 88.

Eos. 709 † videatur.

videatur. Pari modo, quod certum est, per respectum ad omnes certum dicitur; licet alioquin multis probabile duntaxat videatur.

Hic etiam Jesuitas comparas cum Academicis. * Sed ex supra dictis, ea, quæ dicis, facile refutantur; nempe Academici id tantum curabant, non quod reverà probabile esset, sed quod probabile cuique videretur. Accedit quod in religione, fide, moribus, legibus, quid quisque vellet, asserere, aut negare, liberum erat. Triumphas tamen, Jesuitis, ut putas, jugulatis, atque prostratis Augustini telo, *cui cum Jesuitis*, inquis, *numquam bene convenit*: scilicet cum Iprensi. Sed quam debile sit hoc telum, perspicuum est. Quid enim Jesuitis (qui cum Jansenistis, Calvinistis, Arnaldistis nunquam hæcenus convenire potuerunt) quid, inquam, cum Academicis? quibus, quid quisque teneret atque probaret, quid cuique probabile videretur, vel improbabile, perinde fuit; ac proinde simul omnia approbabant & improbabant. His tamen Jansenistæ anteponendi sunt, qui errores, ut Catholica dogmata admittunt; & sententias probabilissimas communi Catholicorum usu receptas, errorum loco habent.

§. V I I.

De probabilibus Sententiis, Juri positivo adversis.

CRambem recoctam denuò apponis. Vis enim ignorantiam, Juris positivi scilicet, invincibilem excusare, non tamen legis æternæ & naturalis; † jus autem positivum est, vel divinum, ut quædam Christi præcepta, vel humanum, ut lex Ecclesiastica, &

* Pag. 89. † Pag. 89.

Civilis.

Civilis. Purum putum Jansenium audire mihi videor. Sed dic sodes, Willelme, cur ignorantia juris positivi excusat, & juris naturalis non excusat? Quia hæc, inquis, est pœna peccati originalis, non verò illa. quàm bene Jansenius, immò Calvinus & Lutherus tibi suffragantur! Sed, nullus dubito, utraque excusat, quia voluntarium tollit; nec enim id volo, quod ignoro. Hæc ratio vel utrique, vel neutri competit. Si verò crassa sit, affectata, voluntaria, qua quis ignorat quod vult ignorare, quia doceri potest si velit, sed hoc ultrò negligit; à peccato non liberat: sive sit juris naturalis, sive juris positivi. Et hæc est omnium Catholicorum sententia; quam hoc loco fusè demonstrarem, nisi auctores, quos jam supra laudavi, id egregiè præstitissent.

SECTIO IV.

Opinionem minus probabilem & minus tutam amplecti licet.

§. I.

Variis argumentis hæc Doctrina confutatur.

SI hoc unum dumtaxat probares, teneri scilicet quempiam ad probabilius; nihil reverà esset, quod jure in te castigarem. * Nonnullis enim probabilis hæc sententia videtur: non tamen illis omnibus, quos in hanc rem citas, ex quorum censu expunge Navarum, S. Antoninum, Sot. &c. Immò nonnulli ex iis quos adducis, in vario sensu loquuntur: ut Cajetanus, Corduba, &c. At quòd sententiam contrariam, ut

* Pag. 90.

blasphemam, impiani, erroneam, hereticam, traducas, in hoc sanè iudicium tuum desidero; cum illa & firmissimis rationibus, & gravissimorum Doctorum calculo nitatur. Horum censum describerem, nisi apud auctores extaret: frustra igitur tot nominibus paginas implerem; præsertim cum iis hominibus agens, qui Doctores illos rejiciunt non sine sarcasmo, quorum suffragio Jansenii errores non gaudent. Sed ad rem venio; etsi probè sciam, me oleum & operam perdere, dum tecum disputo, quem nec rationum momenta remonent ab errore, quas haud dubiè non capis, aut si capias per summam obstinationem respuis; nec Doctorum auctoritas movet, quos non modò nihili facis, sed pro sceleratis ac perditis hominibus, & Catholicæ religionis perturbatoribus habes. In hoc tamen, officio meo satisfaciam, licèt probè sciam, tuo te prorsus defuturum.

Itaque inficias ire nemo potest, quin jam communis omnium recentiorum sententia sit, quibus multi ex antiquioribus etiam accedunt, quempiam posse in actionibus moralibus, ex duabus opinionibus contrariis minùs probabilem amplecti. Qua enim lege, vel naturali, vel positiva id vetitum est? Cedo Scripturæ, Conciliorum & Patrum loca; expressa scilicet & perspicua: nec enim farraginem illam vestram, quæ nihil probat, sed paginas duntaxat occupat, admitto. Prætereà eo jure, quo probabiliorem sequor, minùs probabilem sequi possum, jure scilicet probabilitatis, in quo prudens actio fundatur, mediatè scilicet & remotè: nam proximè ac immediatè fundatur in certo iudicio practico, ex quo deducitur; idque in eo rerum genere, quas certa notione homines assequi non possunt. Deindè illa, quæ mihi videtur probabilior, aliis ut plurimùm minùs, aut æquè probabilis videbitur: quid

quid ergò in re obscura aliorum iudicium meo præferre vetat? Nec enim ad veritatem certò spectare possum, quæ utrimque incerta est. Denique si opinionem minùs probabilem amplecti non licet, igitur hæc tuta non est: quod enim tutum est periculo caret: igitur nec probabilis, scilicet in praxi; cum certum sit, nemini licere peccandi periculo sese ultrò exponere, saltem sine gravissima ratione; de quo aliàs. Igitur prima illa, quæ improbabili opponitur, non probabilis, sed omnino certa est: quod nemo dicat. Nec dicas, minùs tutam esse probabilem, licèt illius electio non sit probabilis: nam probabilitas non cadit in electionem, sed in ipsam opinionem: quæ si verè probabilis est, certò tuta est, tum materialiter, tum formaliter; nisi aliud præceptum obliget, omisso probabili, sequi certum, aut saltem probabilius, si certum deest: illud autem præceptum est, vel charitatis, vel iustitiæ, vel obedientiæ, aut religionis; ut suprà vidimus, in adductis exemplis. Adde, quòd illa opinio, communis & longè probabilior est, saltem hoc tempore, qua conceditur, è duabus minùs probabilem sequi. Igitur ubi iudico, tutam esse in praxi, opinione probabiliorè moveor & ducor. Quod verò attinet ad auctores, qui hanc sententiam tradidère, omnes omnino recense, qui à centum annis scripserunt; si unum aut alterum excipias, quibus tertium accensum esse velim, scilicet Canonistam quendam neotericum, qui ultrò fatetur, se non esse Theologum: nec mirum accidit, cum ferè omnia Philosophiæ & Theologiæ principia, quæ ad hoc argumentum pertinent, disjecerit. Sed ad tua argumenta venio.

* Primo loco statim illud obtrudis: nullam opinionem probabilem tutam esse, nisi vera sit. Hoc commentum probare debueras, non supponere: sed tibi

probè consulis, qui probandum non suscipis, quod erroneum est. At etiam demus, ita esse, ut dicis etiam opinio probabilior falsa esse potest: igitur non est tuta, si nulla tuta sit, quæ falsa esse possit: igitur cum minùs probabilis vera esse queat, tuta esse potest.

Ad aliud deindè argumentum descendis: qui minùs probabilem opinionem sequitur, inquis, securus non est: igitur dubitet, necesse est: igitur dubiam conscientiam habet: igitur tutiorem partem eligere debet, ex juris formula. Hoc loco supponis conscientiam dubiam, quæ tamen certa est; cum certum sit, eum prudenter agere, qui ex opinione verè probabili agit, quando non obstat aliud præceptum: alioquin etiam conscientiam dubiam habet, qui ex probabiliore agit: hæc enim quamvis probabilior sit, certa tamen non est: igitur cum formidine conjuncta: igitur ex tuis principiis cum dubia conscientia agere liceret: igitur ubi judico, aliquam opinionem esse verè probabilem, v. g. illam qua dicitur, virtute triplicis contractus, ut vocant, justum lucrum percipi posse; hanc propositionem primò elicio: ille contractus est justus, & legitimus, cum minimè repugnet juri naturali, nec positivo; & hoc gravissimi, piissimi Doctores, iiq̄ue plurimi doceant: hinc judico, vel potiùs deduco, certum esse, quod hæc propositio verè probabilis sit, seu quod honestas probabilis huic objecto insit, vel justitia probabilis huic contractui; ac proindè illius praxis recta & tuta sit: hoc autem ultimum judicium, quod aliqui practicum vocant, est certum: igitur conscientia tuta, certa, secunda: igitur non dubia.

Si verò certum non sit, opinionem esse probabilem, sed incertum, & tantùm probabile; haud dubiè illa non est tuta in praxi: quia, ut non est mihi certum,
esse

esse probabilem, ita non est mihi certum, esse tutam: igitur incertum, ac proinde dubium: hinc conscientia dubia: nempe judico inesse probabile periculum peccati; sed illud fugere teneor: & licet aliqui dicant, abesse dubium, ubi adest judicium, falluntur haud dubie, nisi hoc judicium certum sit; judico enim, probabile periculum inesse. Et hæc est opinio probabilis speculativè dumtaxat, quæ scilicet ad praxim reduci non debet: hinc practicè probabilis non est: immò cum sit tantum probabile, esse probabilem; est etiam probabile, esse improbabilem: igitur probabile, oppositam certam esse; certum verò, esse maximè probabilem.

Hinc primum locum obtinet illa, quam, certum est, certam esse; secundum illa, quam probabile est, certam esse; tertium illa, quam certum est, esse probabilem; quartum illa, quam probabile est, esse probabilem, ac proinde probabile, non esse probabilem, vel esse improbabilem; quintum denique illa, quam certum est, esse improbabilem. Opposita autem illi quæ est primæ classis, est quintæ; quartæ verò, opposita illi quæ est secundæ; in eadem tertia classe, utraque opposita locum habet. Hinc nunquam licet in praxi quintæ & quartæ classis opiniones sequi; sed tenemur sequi oppositas, quæ sunt primæ & secundæ; nisi fortè per inculpatum errorem. Opiniones tertiæ classis amplecti ad libitum possumus, quia certum est, esse probabiles: igitur certum est, esse tutas: igitur certum est, abesse periculum peccandi: immò sunt æquè tutæ, cum peccatum æquè excludant: hinc sunt probabiles, tum speculativè, tum practicè. Opiniones tamen quartæ classis, speculativè, vel opinativè, ut vocant, tenere possumus, in quo non peccatur: non tamen practicè, quia probabile periculum supponunt,

nunt quod vitare tenemur: igitur non sunt tutæ formaliter: tuta enim securum facit. Accedit quod oppositam sequi tenemur, quæ est secundæ classis; quam scilicet certam esse, probabile est. Hæc pauld fusiùs explicare volui, non quod sperem tibi usui fore, quem obstinatissimum esse conjicio; sed ut auctores Catholici qui diversa sentire videntur, vel indè inter se conciliari possint.

Non deerunt fortè, qui velint, opinionem illam tutam esse, vel potiùs illius usum tutum, quam probabilem esse, incertum est, licèt probabile. Sed eos nihil moror: nam reverà ut ex hoc iudicio, *certum est, opinionem hanc esse probabilem*, rectè hoc deducitur, *certum est, illius usum esse tutum*; ita ex illo, *incertum est, esse probabilem*, rectè hoc sequitur, *incertum est esse tutam*: igitur dubium: sed ex D. Thom. quodlibeto 8. art. 13. ne quis peccet, requiritur quòd ex contrarietate opinionum, in nullam dubitationem adducatur: igitur certus esse debet, quòd sit tuta opinio: igitur, citra inculpatam ignorantiam, quòd sit verè probabilis, vel certa: igitur ut sequi non potest eam, quam probabile est, esse improbabilem; ita sequi debet oppositam, quam certam esse probabile est.

Pergis deindè eandem sententiam confutare. Sæpè tantùm inquis, ex altera parte, est periculum peccandi: sic dubitatur, utrùm liceat habere plures præbendas; sed non dubitatur, quin liceat non habere plures: igitur, qui hanc sequitur partem, non modò magis probabilem minùs probabili, sed omnind certam anteponebat. Si docilis esses, ad Logicam (agitur enim de oppositis) te amandarem: nam ineptè huic propositioni, *licet habere plures præbendas*, hanc opponis, *licet non habere plures præbendas*; cum tamen hæc sit opposita, *non licet habere plures præbendas*: quod
vel

vel minimus in Dialectica tyro te docebit : nempe illæ duæ quas adducis, ut oppositas, vel contrarias, veræ simul esse possunt. Sic die non præcepto, licet jejunare, itemque licet non jejunare. Itaque si huic, *licet habere* &c. quam probabilem supponis, exempli gratia, oppositam *non licet habere* &c. accipias, haud dubiè certa dici non potest, sed probabilis, aut saltem probabilior. Cur ergo oppositam illam certam esse dicis? vis sincerè dicam? quia hæc non intelligis, & in re alioquin satis clara cæcutis. mihi sanè mirum ampliùs non accidit, cur ratiocinii usum tam sollicitè proscribere coneris; cum eo scilicet tam infœliciter utaris. Locus Augustini contra Donatistas non urget: quia S. Doctor vult tantùm, certum esse peccatum, quod ab eo patrat, qui peccati dubius est atque incertus; id est, ut communi formula utar, qui cum dubia conscientia operatur. In hoc verò casu, non est dubia conscientia, sed certa. Unde refellitur etiam aliud, quod à te adducitur, eum scilicet contra conscientiam operari, qui minùs probabilem amplectitur. In quo etiam erras, cum secundùm illud iudicium operetur, quo certò iudicat, opinionem illam probabilem & tutam esse, ac proinde nullum esse peccatum: si certum iudicium est, reverà dubium non est: igitur, ut patet, contra conscientiam non operatur.

Quod addis de causa, * quæ ad electionem opinionis minùs probabilis impellit, quam vis esse cupiditatem; turpem ego causam non approbo: non video tamen, cur aliquis suæ conscientia simul & utilitati consulere, in rerum humanarum usu jure non possit, v. g. cur aliquis, ut justum ex pecunia lucrum percipiat, inquirere non possit, utrùm usus Trium Contractuum licitus ac legitimus sit? Quod demùm

subnectis ex Tullio de Academicis, ad rem non facit, ut supra dictum est: immò pessimè Tullii locum explicas, dum ea, quæ ipse improbabilia vocat, vis esse minùs probabilia: quàm unum ab alio discrepet, omnes vident. Te saltem Grammaticum esse putabam, qui nec Logicus es, nec Theologus, nisi Salisburgensis. Sed ni fallor, jam ferè cum Casuistis tibi convenit. Vel enim agitur de re certa, vel de dubia: si certa est, omnes conveniunt, illi oppositam probabilem non esse, sed improbabilem & certò falsam; si verò de dubia, ita ut utrimque de rei veritate disputetur, vis divinum lumen implorandum, & diligentiam adhibendam; quod etiam Casuistæ dicunt. Perge porrò. Vis eam præferri, quæ probabilior appareat; at si S. Thomas oppositam teneat, num poterit quispiam illam sequi? si demùm utraque æquè probabilis videatur, concedis utramlibet, etiam cum illo, quod fingis, periculo peccandi; in quo turpiter erras, & longè laxior es, quàm Casuistæ. Hæc enim est conscientia dubia, quæ actionem vitiat, ut omnes Casuistæ testantur. Nempe conscientiam tutam certum judicium constituit de actionis honestate; quod tamen sequitur ex judicio etiam certo de opinionis probabilitate, vel certa objecti veritate, citra ignorantiam invincibilem, quæ cum certo de actionis honestate judicio rectè componitur; & citra obligationem, ab alio præcepto inductam, sequendi dumtaxat vel certum, vel probabilius; ut constat ex supra adductis exemplis.

Sed, quæso, per te mihi liceat, hîc etiam breviter delibare doctrinam præfati Canonistæ, à quo etiam multa accepisti; licet hic cum Catholicis Doctoribus sentiat, ignorantiam invincibilem à peccato liberare; in quo à vobis dissentit. Vult autem prædictus

dictus auctor, non posse dari duas opiniones oppositas probabiles de eodem objecto; alioquin intellectus dubius pendet in æquilibrio sine assensu, dum utramque partem existimat probabilem. Itane? existimat probabilem? Igitur assentitur; cum existimare idem sit, quod assentiri; igitur sine assensu non manet. Deinde quisquis iudicat, aliquam propositionem objectivam, ut vocant, esse probabilem, eidem assensum præbere potest, si velit; at utramque partem intellectus iudicat probabilem; igitur utriusque assentiri potest. Sed inquis, simul non potest utriusque assentiri; nec etiam seorsim; cur enim potius uni, quàm alteri? In hoc opinor hallucinatis. Demus, utrique parti oppositarum propositionum intellectum simul assentiri non posse: non video, cur utrique seorsim assentiri non possit, voluntatis iussu, quæ applicat intellectum ad assentiendum objecto, non evidenter, sed obscure proposito. Sed inquis: intellectus præluceat voluntati. Rectè: anima, cui proponitur utraque propositio, sufficientibus rationibus nixa, ad hoc ut intellectus prudenter assentiat, ea vi pollet, qua ad assensum uni præbendum, vel alteri, vel utrique seorsim, sese determinet. & hoc est, quod dixi, voluntatis imperio, intellectum assentiri. Sed ille assensus, inquis, cum formidine conjunctus est; igitur cum aliquo dubio. Fateor primum assensum illum opinativum, ut vocant, quo veritati propositi objecti mens assentitur, cum aliqua formidine esse conjunctum, & cum aliquo dubio, non peccandi, sed errandi; dubio, inquam, non negativo, ut vocant, quo scilicet intellectus suspensus maneat inter assensum & dissensum, dubitans, utrum assentiri, an dissentiri debeat; sed positivo, quo timet errare, aut falli; ac proinde dubitat de veritate objecti

objecti propositi. At iudicium, quod sequitur, quo iudico, certum esse, opinionem illam, cui adhæreo, esse verè probabilem, ac proinde tutam, & peccatum excludere; iudicium, inquam, illud est certum, & ab omni dubio immune. Porrò illud duntaxat dubium actionem inficit, quo dubito de illius honestate, vel turpitudine, aut de probabilitate objecti propositi, non tamen illud, quo dubito de objecti veritate.

Sed inquires, si hæc, ita sunt, cur uni potiùs, quàm alteri parti adhæreo? Questio facilis breve responsum postulat. adhæreo, quia volo; quia sum liber, quia ea vi polleo, quàm me determinare valeo; nec enim intellectui ab abjecto obscurè proposito necessitas imponitur; ut patet in actu fidei, ad quem voluntas piâ motione intellectum impellit. Dato igitur, inquis, quod uni partium intellectus, voluntatis imperio, adhæserit; alteri ampliùs adhærere nequit: nempe eo ipso huic falsitatem, quo illi veritatem adstruit. Attamen cùm à voluntate uni parte liberè applicetur, eadem facilitate assensum illum deinde revocat, quàm ante præbuit: igitur alteri parti ut intellectus adhæreat; jubet, revocato, seu deposito priore assensu. Quæres fortè, cur utrique simul assentiri non possit? Non desunt gravissimi auctores, qui hoc fieri posse non negent. ego tamen fieri non posse, virtute saltem naturali, existimo, cum intellectus eodem simul instanti, de eodem objecto dicere nequeat, verum & falsum est, id est, verum & non verum: quia est ipsi evidens, propositiones contradictorias simul veras esse non posse. Vnum est, quod difficiliùs objiceres, scilicet partem oppositam etiam certò esse probabilem: iudico igitur probabiliter, v. g. Triplicem contractum legitimum non esse: hinc iudico, certum esse, hanc opinionem

opinionem

nionem esse probabilem, ac proinde tutam; igitur honestum esse eam sequi, & ab illo contractu abstinere: igitur, inquires, certum etiam judico, turpe ac illicitum esse eodem uti. Hoc ultimum judicium ex antecedentibus non sequitur. alioquin certum esset, idem honestum esse ac turpe, quod repugnat. Unde observandum est id, quod supra dixi; ex eo quod certum sit, probabilem esse opinionem, certum inde judicium deduci, usum illius tutum esse, nisi, ut dixi, aliud præceptum obstet. Igitur si utraque opinio de illo contractu verè probabilis est, tum illa, quæ asserit legitimum esse, tum illa, quæ negat; & certum est, utramque esse probabilem: certò deduco, utriusque usum opinionis honestum esse; igitur tam licere uti contractu illo, quam non uti. si quis autem per errorem, ex prædictis judiciis speculativis deduceret, turpe esse prædicto contractu uti; nemo neget, peccare illum, si deinde præfato contractu utatur. Judico, inquires, illum contractum esse illegitimum, ac proinde illicitum; igitur judicium illud practicum per errorem non deducitur. At ex uno speculativo probabili non sequitur damnatio oppositi, sed ejusdem reductio ad praxim. Sic ex eo, quod judicem legitimum esse contractum, rectè deduco, honestum esse illius usum; inde tamen illius non usum non reprobo: item ex eo, quod judicem, probabiliter contractum esse illegitimum, rectè deduco, illius non usum honestum esse; at illius usum inde non damno, quem ex oppositis rationibus honestum esse deduxi. Si tamen certò judicarem, contractum illegitimum esse; rectè inde deducerem, necessariò omitendum, ac proinde illius usum damnare in, equidem per errorem, prædictum judicium de turpitudine illius usus, ex priori judicio multi deducunt; & hoc

stante,

stante, contractu illo, sine peccato, uti non possunt. Si ea pauca, quæ dixi, attentè ponderentur; nulla prorsus difficultas restat.

§. I I.

*Hanc doctrinam scrupulis occasionem
non præbere.*

AD te redeo, Willelme: statim initiò pro fundamento statuis, neutram partem tutam, aut securam esse; * ne illam quidem, quæ probabilior est, aut talis videtur: quia *sola vera secunda est*. At nescio utra sit vera: igitur utra sit bona, & à peccato immunis, nescio; igitur inde anxius, perplexus & dubius resto; quis hoc neget? igitur cum dubia conscientia operor; igitur pecco, quoties lumen certæ veritatis mihi non affulget. Cuncta hæc ultrò fateris, saltem tacitè, immò satis expressè. vis enim à viro pio falsitatem illarum opinionum, quas Casuistæ probabiles reputant, certò cognosci, idque *unctione*, inquis, & *spiritu sancto docente*. Ad tuam illam arcem spiritus interni statim confugis. Si verò ambigat, & hæreat vir ille pius, convertat se ad Patrem luminum, inquis, qui dat omnibus affluenter. Rectè mones: neque hoc Casuistæ negant. Consulat viros pios & doctos: ain? quos verò tandem? Jansenistas, Arnauldistas directores Portus-regalis. At si dubitet, utrùm illi sint pii, docti, tuti, veri Catholici, alios fortè consulere non debet? consulat, inquires; sed non Jesuitas, non Casuistas. nempè non sunt illi viri docti & pii. Quando litem habes, mi homo, quem, amabo te, consulis? medicumne, an jurisperitum? hunc, ni fallor: nam in sua cuique arte perito cre-

* Pag. 93.

dendum

dendum est. In rebus moralibus & casibus conscientia, si quid difficultatis sentias, quem consulēs? quemlibet, inquires, modò non Jesuitam, aut Casuistam; id est, modò non peritum. Quod denique de sancto illo tremore Sanctorum subnectis, reverà accipio: est enim, quòd homo Deum timeat, & valde sollicitus vivat: inter hostes vivit, cur non timeat? domi & foris inimicos habet, de quo jam supra. At dubium excutiat, necesse est, ut hic & nunc benè agat: quisquis enim dubitat, ne actio aliqua ex objecto, ut ajunt, mala sit; haud dubiè peccat, si eam elicit. Hæc tamen glutis Willelme, & trepidas & alios trepidare vis, ubi non est timendi locus; audax verò & intrepidus prodis, cum te timor continere deberet.

S E C T I O V.

De duobus erroneis consuetariis.

S. I.

Primum refellitur.

CAsuistæ, inquis, docent, ex opinione probabili, quam quis falsam putet, eidem licere dare consilium, ut Layman, Vasquez, Sanchez; quod sanè absurdum, nefandum, & impium est. * Si dicerēs, tibi absurdum, & impium videri, cum absurdis & Heterodoxis hominibus multa impia & absurda videantur, quæ tamen rationi consentanea, & sancta esse constat, utcumque tolerari posses; sed quod ita esse, impudenter clames, quis, amabo, ferat? sed

* Pag. 94. 95. 96.

amicos

amicos & fœderatos vestros imitaris, qui absurdum putant, Corpus Christi re ipsa in Sacramento Eucharistiæ esse; & impium, sanctos colere, vereri sacras imagines. At quæso te, si aliqua D. Thomæ sententia alicui falsa videatur, saltem ita sibi persuadeat, quantumvis temerè, ut voles, nihil moror; nunquid alteri, à quo hac de re consulitur, indicare poterit, immò debet, se quidem talem opinionem falsam reputare, nec sibi fas esse eam sequi, eandem tamen à S. Thoma doceri, ut probabilem; ac proindè talem esse, quam turdò sequi possit, tanta nixus auctoritate, quisquis eam certò falsam non reputat. Quid, quæso, in hac doctrina blasphemum? quid impium?

Quod autem Vasques nolit, ut quisquam obliget consulentem ad restitutionem, vel aliud simile, juxta probabilem sententiam alterius Doctoris, quam falsam ipse reputet; vox profectò non est hominis *communissima vitæ Christianæ principia penitus ignorantis.*

* Tibi facilè credent mortalium ignorantissimi: nunquam tamen vel ipsi tyrones in Theologia sibi unquam persuadebunt, Vasques esse hominem ignorantissimum. Laudari à laudato viro bonum est: ab impio, Heterodoxo, hoste acerrimo vituperari etiam laus est. Sed quæso te, quo jure juxta sententiam alterius, quam falsam reputas, quæque ad summum probabilis est, obligabis proximùm tuum ad gravissimum illud incommodum? rem acu tetigi. Non vultis Jesuitas consuli, ne vestros errores, hæreses, blasphemias, contumaciam & malas artes, consulentibus aperiant: moralia prætextis, ut Janseniana dogmata obtentu illo defendatis & propagetis. Quod demùm Sanchez auctor sit, ut ii, qui juxta opinionem probabilem consulenti respondent, in scriptis præsertim, significant oppositam etiam probabilem esse; pruden-

ter, ac sincerè factum, sapientissimi quique reputabunt. Cur ergo fugillas? Vis dicam? quia non capis: quia Thomam Sanchez, virum sanè de Theologia Morali bene-meritum carpere voluisti. Vide ne aliquis reponat hoc tritum: *Sus Minervam.*

§. I I.

Secundus error refellitur.

Cuivis licere plures Casuistas consulere, æquum non putas, nisi ad hoc, ut, quod probabilius est, cognoscat & sequatur. * Tuis verbis fidem detrecto, nisi probes id, quod adstruis. Nec enim tenetur quisquam ad probabilius, modò oppositum probabile esse constet. Judicem excipio, cui Resp. vel Princeps id muneris ea lege committit, ut ex probabiliore sententiam ferat; item Ministros Sacramentorum, à quibus probabilem materiam aut formam adhiberi, non vult Ecclesia, quando scilicet certa suppetit; item Medicum, qui, certa medicina rejecta, probabilem adhibere non debet. Igitur, si aliquis minùs probabilem opinionem sequi potest, non video, cur à Doctoribus eam discere non possit; nec enim agitur cupiditate, sed desiderio fugiendi peccatum ducitur, v. g. Vult quis ex pecunia justum lucrum percipere: quid ni à Doctoribus modos illos inquirat, quibus justum lucrum percipi potest? Vult quis dimittere beneficium, at retenta pensione; aut illud cum alio permutare: quid ni à Casuistis, Theologis, Canonistis modum resciat, quo id rectè, licitè & exclusâ simoniâ fiat? sic ergo tuo argumento utor: licet sequi minùs probabilem sententiam, licet igitur inquirere. Sic enim ratiocinaris: non licet amplecti minùs probabilem & minùs

* Pag. 98.

nus tutam, igitur nec indagare: sed falsum est antecedens: nec, ut dicis, * dubia conscientia remanet, cum adsit iudicium practicum certum de honestate actionis. Si certum; igitur omne dubium excludit. Restat unum, cujus te moneam: semper enim minus probabilem opinionem pro minus tuta accipere videris; cum tamen sæpe accidat, ut minus probabilis sit magis tuta: v. g. est minus probabile, immò improbabile: contritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ necessariam esse; quis autem neget, tutius esse, adhibere contritionem? est minus probabile matutinas horas Sacrificio Missæ necessariò præmittendas esse; quis neget tutius esse? est minus probabile quempiam admissio peccato, illicò teneri ad Confessionem, quis autem non videt tutius esse? tutius inquam, non ad peccatum excludendum, quod æquè utraque pars excludit, sed ad majorem perfectionem, ad quam non tenemur, actioni conciliandam. Cuncta hæc distinguere debueras, mi homo; sed distinctionis & perspicuitatis impatiens, omnia confundere maluisti, ut sub illis tenebris lateres, & simplicioribus longè faciliùs imponeres.

Quis demum Jesuita, ut temerè affingis, * unquam negavit, diligentiam adhibendam esse, vel fufis ad Deum precibus vel consultis piis Doctisq̃ue hominibus, ad Dei voluntatem cognoscendam, & cœlestelumen implorandum? Doctis inquam & piis, non tamen Portus-regalis inquilinis, quos reverà nec pios, nec doctos esse, omnes Catholici sciunt: nec enim pietas, & vera doctrina cum errore consentiunt. Quod boni & religiosi viri Casuistis parùm, ut dicis, utantur, experientiæ repugnat. Nam religiosæ conscientiæ homines alios sæpe consulunt, ne vel minimam peccati labem contrahant. Sed consilia à præ-

* Pag. 99. * Pag. 99.

ceptis

ceptis probè distinguenda. Utinam omnes consilia sequerentur! hæc sunt, crede mihi, Jesuitarum vota: sed quod Christus non præcepit, præcipere ipsi minime possunt. Hic porrò Concionatorem agis, & satis pueriliter declamas: eos qui Casuistas consulunt, * ineptè Balaamo comparas, intentas iram Dei, maledictionem comminaris, eò quòd Magistros *prurientes auribus* sibi coacervent. Sed vide, ne in vestros Magistros hæc probè quadrent, qui adeò tersum & exquisitum styli nitorem impensè hæctenus & operosè affectarunt, ut hoc melle, Janseniani venenum erroris, præsertim apud imperitos condirent.

S E C T I O V I.

De Casuistarum auctoritate.

R.etractas, quæ jam supra de probabili opinione, ad nauseam congeffisti: † nullum Doctorum numerum vis sufficere, ad probabilitatem opinionibus conciliandam, per locum scilicet, ut ajunt, extrinsecum. Times Jansenium vestrum obrui à maxima illa Doctorum turba, qui ejus errores cum Ecclesia damnarunt: hinc illorum auctoritatem elevas. Sed apud Catholicos, maximi semper ponderis fuit; nullius verò apud Heterodoxos. Eo ipso quòd quis aliquam opinionem probabilem censet, statim vis ipsi fieri probabilem. In hoc sæpè ac sæpiùs hallucinaris; cum aliud sit esse probabilem, & aliud talem videri. Sic forsitan error probabilis vobis videtur, qui tamen probabilis non est: neque vos excusat, cum per crassam & voluntariam ignorantiam omninò delinquatis. Quod aliqua opinio nonnullis videatur

F 2

pro-

* Pag. 100. † Pag. 101.

probabilis, quæ Scripturæ & manifestæ rationi repugnet; apud vos non deerunt exempla: apud Catholicos non inuenies. Licet enim aliqua improbabilia quidam Catholici probabilia putent; illa tamen manifestæ rationi, aut Scripturæ tam perspicuè, ut afferis, non repugnant. Aliquo exemplo dictis, seu maledictis, fidem facere debueras. Addis unius Ecclesiæ auctoritatem movere. Rectè: medice cura teipsum: cur eam rejicitis, & pessumdatis? movet Ecclesiæ auctoritas ad certa; Doctorum verò ad probabilia: de iis enim agit Augustinus, quæ quis credere vel non credere debet; nec unquam negavit Augustinus, quin Doctorum auctoritas maximi alioquin momenti sit. Perstringis deinde aliquos auctores, quos inscitix insimulas. * De Thoma Sanchez, ut alios omittam, quibus aliquando caninæ tuæ maledicentiæ dabis pœnas, dicere ausim, ad instar aquilæ esse, cui noctuas, vespertiones, & ferales Portus-regalis bubones nemo sanè, opinor, nisi mortalium stultissimus comparet.

Immò, quod longè gravius est, opinionem aliquam eo ipso suspectam esse dicis, quo à Casuistis docetur: quas subinde Baunio & Escobario calumnias affingis, multi Apologistæ diluerunt: de his tamen infra. tum per inanem quandam ostentationem, tibi ac tuis applaudens, vis Casuistas, Theologos, Jesuitas eò devenisse, ut doctis simul & indoctis *horrori* sint. Sic eleganter tua vota expromis: quod enim ad rem ipsam attinet, eodem prorsus modo, quo antè Catholici eos consulunt, adeuntque, ac se illis, in iis quæ ad Deum spectant, regendos tradunt: nec ea laborant solitudine, quam exaggeras. * Vestrum quidem, vel potiùs cacodæmonis consilium fuit, qui vestra,
alio-

* Pag. 102. † Pag. 103.

aliorumque fœderatorum opera usus est; ut Jesuitas à suis erga fideles piis muneribus removeret: sed res pro votis non successit: est, qui videt, & judicat. *Fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, sed Dominus de celo prospexit, & conturbavit eos.*

Ne quid demùm ad contumeliam desideretur, constanter asseveras, in dubiis moralibus, mulierculæ cujuscumque judicium, Casuistarum, non paucorum aliquot, sed ferè omnium (nam plerosque dicis) judicio anteponendum esse. In hoc fanè tuum plerique judicium desiderabunt: nec deerit fortè, qui dicat, te infano muliercularum amore teneri, quas Theologis Catholicis anteponis. Desperatam haud dubiè causam agis, pro qua ad muliercularum tribunal appellas. Hæreticis quoque idem mos fuit: nullus enim sectarius unquam exstitit, sine consorte alterius sexus. Rem etiam indoctorum judicio committis: at indoctos & suspectos recuso judices; quia scilicet tui similes. Viginti demùm Casuistis, immò centum & mille, vel unum pium & eruditum Parochum opponis. Unum inquam, ex illa celebri ogdoade. Tum agmine facto, omnem Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Belgii populum opponis. Expunge, amabo te, Hispaniam, nec enim populum in ea reformatum invenies, qui Janseniana dogmata probet: in aliis regionibus, quas appellasti, multos invenies, qui vestræ factioni addicti sunt. Vobis enim cum Lutheranis & Calvinistis, cum Carolo Molinæo, & Samuele Maresio benè convenit. Italiam prudens omisisti, quæ nihil nisi fulmina vobis hæctenus cudere visa est.

Subnectis, nihil ex eo auctoritatis, Casuistis accedere, quod ingentia volumina confecerint, parum alioqui ad scribendum instructi & idonei; in toto 1550. annorum decursu, non nisi 12. Casuistas, teste

Bellarmino, scripsisse; idque divino quodam consilio contigisse; cum res admodum periculosa & lubrica sit, de conscientia, de distinctione venialium & mortalium disputare; nunc verò Casuistarum nubem extortam esse, qui, tanquam *Ægyptiaca rana*, * in Ecclesiam incubuerunt, & nihil penè jam *in moribus integrum* reliquerunt. Citas in hanc rem longum *divini Aurelii* (sic enim appellas) locum; institutâ demùm, pro regendis fidelibus, Parochum inter & alienum, comparatione, in gratiam Parochi sententiam ita pronuncias, ut alienos, *impuras cisternas, devios tramites, & lupos rapaces* appellare non verearis.

Hæc paucis refutantur. Antiqua fuit hæreticorum nœnia, contra Scholasticos & ingentia illorum volumina declamare. Sed numquid D. Thomas tot & tantorum voluminum auctor, aliique omnium ordinum Scriptores, in eo Theologorum Moralium censu comprehenduntur? Bellarminus Summistas numerat, ut vocant, qui Summas scripserunt, inter quos S. Raymundus de Pennaforti, S. Antoninus, Cardinalis Cajetanus, & Sylvester Magister Sacri Palatii recensentur; tredecim appellat: tu verò duodecim, ne quid sine fuce & mendacio à te dicatur. Sed ubi Canonistæ, & Theologi, qui de re morali scripserunt? Quid rei sit, satis vidèò, tot ac tantos errorum vestrorum testes habere puduit.

Parum idoneos, & instructos ad scribendum fuisse dicis. Quid porrò iis defuit? vis dicam; una dumtaxat erga doctrinam Jansenianam propensio. Nam insigni pietate ac vitæ sanctimonia, eruditione singulari, præstanti demùm ingenio præditi, ex S. Scriptura, usu Ecclesiæ, Sacris Canonibus, Rom. Pontificum Constitutionibus, Sanctis Patribus, Doctoribus demùm Theologis, eam doctrinam excerpte-

* *Pag. 104.*

runt,

runt, quam in eorum codicibus legimus. Nolles de conscientia disputari; ne vobis erroneam esse, simpliciores Catholici intelligant: nec de culparum distinctione; ut nova crimina ad terrendum populum excogitetis; ut Sancygiranus vester, qui hominem culpæ mortali adstrictum, rei sacræ, absque peccato mortali, nunquam interesse dicebat. Attingis etiam modum injungendæ pœnitentiæ: de quo agi nolles, ne, quam obtruditis pœnitentiam publicam, etiam pro occultis, idque more Pharisaico, necessariam non esse Theologi demonstrarent. Quis tuum Aurelium *divinum* credat, quem tam inhumanum erga religiosos ordines vel ipse locus à te adductus planè demonstrat? sæpe quidem *divinum* & Prophetam egit, in suis illis Apocalypticis commentis: sed falsum Prophetam fuisse probavit eventus. Cæterùm tibi auctor essem, ut nunquam Aurelium citares, nisi monito prius Lectore de libro cautè legendo, in quo non nemo centum errores confixit.

* Uter verò, ad regendos fideles, in via spiritus, aptior sit, Parochus scilicet paulò liberioris vitæ homo, cui nihil ad luxum, ad commodum, ad delicias desit, quem turba nepotum coronat, cui licèt incogitanti feritur & metitur (de iis enim tantùm loquor;) an verò alius strictioris instituti, castigatioris vitæ, rebus divinis addictus, curis sæcularibus liber, doctus alioquin & debita, tum jurisdictione, tum approbatione instructus; uter, inquam, sit aptior, cuius considerandum relinquo. Te interim ad libellum P. Bagotii de hoc argumento scriptum remitto; quem, cùm Sacra Cardinalium Congregatio ad id specialiter deputata, recognoscendum & examinandum suscepisset; nihil in eo censurâ dignum pronunciavit. Hinc Ro-

88 *In Dissertationem Theolog. de Probabilitate.*
mæ liber, cum approbatione, secundò editus; ut ab
amico certior factus sum.

SECTIO VII.

Dissolvuntur Jesuitarum Criminationes.

A Junt, inquis, imposturâ 22. perperam sibi vitio
dari, quod probabiles opiniones esse censeant:
illico pernegas; sed id duntaxat vitio verti, quod ea,
quæ improbabilia sunt, pro probabilibus habeant. In
citata impostura, nihil tale invenio; ut vel inde im-
posturas vestras multiplicetis: sed ibi tantum lego,
Thomam Sanchez à Montaltio temerè correptum esse,
eò quòd dixerit, auctoritatem gravissimi Aucto-
ris, solidis nixam rationibus, sufficere, ut aliqua opi-
nio dicatur probabilis. Sed hæc est communis om-
nium sententiâ, modò sit auctor doctus, prudens, &
pius, qui ex professo rem discussit, eam optimis &
firmis rationibus confirmet, & ea, quæ opponuntur,
probabiliter diluat. Sed te remitto ad imposturas la-
tinè redditas, ut novam imposturam agnoscas. Quod
verò opponis, pro probabilibus multa à Jesuitis ha-
beri, quæ improbabilia sunt; donec ipse probaveris,
improbabile reputandum est. Sed age, quæso, argu-
mentis, non convitiis. Centies in his notis dixisti,
nullam opinionem, quæ falsa sit, tutam esse: quòd
Jesuitæ, immò Catholici omnes, id negent; errant,
inquis, & pueriliter nugantur. Tu verò erras Wil-
helme, & à te in hoc dissentire, Catholicum est.
Quod ipsi habent, minùs probabilem, modò verè
probabilis sit, esse tutam, eo modo, quo antè dixi;
probabilius est. Tu id negas, etsi minùs probabili-
ter; non tibi propterea litem intendo; à censura pror-
sus

sus abstineo. Cur eam adhibes, qui peioris es conditionis?

* Nemo inter Jesuitas opinionem illam probabilem agnoscit, quæ dogmatis in Ecclesia receptis ad-
versetur, aut à sensu communi abhorreat: quia probabilem, quamvis certitudinis expertem, ratione probabili nixam esse volunt: hæc autem ratio petitur, vel à loco extrinseco, scilicet ab auctoritate gravium auctorum, quos sine ratione ita sensisse incredibile est; alioquin graves, docti, pii, prudentes Doctores non essent: vel à loco intrinseco, scilicet à re ipsa: hinc utrumque semper conjunctum est. Licet enim opinio aliqua mihi probabilis videatur, quia illam tenuit gravissimus & omni exceptione major auctor; suppono tamen, illum suis rationibus & fundamentis non caruisse. Negabis fortè, Doctoris Angelici auctoritatem sufficere cuiquam ad probabilitatem, quamvis alioqui ejusdem rationes ignoret, quas tamen ille supponit? Caramuelem identidem carpis: sed ille nostris armis non indiget; ad pugnam satis instructus est, auxiliares copias non postulat. Nolim tamen tibi persuadeas, Jesuitas in ejus verba jurasse, innumera proposuit, interrogando potiùs quàm asserendo, quæ nullus unquam Jesuita defendit. Quod verò dicant, non idè aliquam opinionem re ipsa esse improbabilem, quod alicui talis videatur, modò tamen gravissimi auctores eidem suffragentur; nemo, qui rectè sentiat, secùs putat. Quam multa Jansenistæ vestri, immò Calvinistæ improbabilia & falsa reputant, quæ pro probabilibus & certis Catholici habent?

Quod demùm aliqua opinio, nec Scripturæ, nec Patribus, nec Ecclesiæ, nec rationi evidenter repugnet; illud quidem necesse est, ad hoc ut probabilis sit, non tamen probabilem facit; sed ratio pro-

* Pag. 106.

babi-

babilis adesse debet ; neque res tota , ut dicis , ad auctoritatem solam reducitur ; immò ipsa auctoritas cum ratione conjuncta esse supponitur. Falsum etiam est , quod Jesuitis affingis , nullam unquam opinionem Casuistarum improbabilem censi posse. Si enim communi gravissimorum auctorum consensu , aliqua opinio sensui Ecclesiæ , sacris Canonibus , SS. Patribus , rationi evidenter repugnet , quamvis aliqui eam probabilem putent , nihil tamen obstat , quin eam pro improbabili habeamus. Adductum Vallii testimonium ab auctore illo , * qui vestras imposturas publicavit , luculentum est , & nullatenus ambiguum ; item Navarri , Alberti Magni , S. Antonini , Gamachæi loca perspicua sunt : ad pœnam libri : tu vide sis. Quid porrò ambiguitatis in Vallio fingi possit ? satis enim esse inquit , tutam & probabilem opinionem sequi , & probabiliorem posse optimè relinqui. Quòd Gamachæus non præstò sit , nemini persuadebis : sic perspicuum illius testimonium eludere voluisti : * eadem arte S. Antonini auctoritatem elevas. Sed hoc vobis familiare est , ut eorum , qui vestris erroribus non suffragantur , bonum nomen & famam denigretis : nemini hæctenus satyræ vestræ percerunt : nihil in Ecclesia Sanctum , quod maledicentia vestra non fœdarit ; Romanum Pontificem , Concilium Trident. SS. Patres , qui vobis ab Augustino dissentire videntur , Scholasticos omnes , Religiosos Ordines , Deiparæ cultum , sugillare , carpere , deridere , perstringere , impunè huc usque non cessatis. Hæc porrò sunt crimina vestra ; non Jesuitarum Criminationes. Multùm alibi , sed hîc plurimùm hallucinatis. Ubi titulum sine re Lectoribus tuis exhibuisti , centies eadem repetis : eadem ubique cantilena. Unum dumtaxat obolum feres. Hæc quoque sæ-

* Pag. 107. * Pag. 108.

piùs

pius Parochi Parisienses, aliique in suis censuris ad nauseam inculcarunt. Aspersisti aliquot, Augustini ut plurimum, loca; quæ tamen ad rem non faciunt. Sic operam, & atramentum perdis: sic frustra paginas imples; in quas una litura, seu spongia probe quadraret.

N O T A I I.

Filiutii Doctrina de Ieiunio.

Filiutium, tanquam blasphemum, & hæreticum, hoc loco traducis, eo quod dixerit, eum ad ieiunium non teneri, qui vel labore ob malum finem suscepto, vel alia sua culpa, talem infirmitatem, dispositionem, virium debilitationem contraxerit, ut sine gravissimo incommodo & periculo ieiunare non possit; quamvis expressè dixerit eum peccare, si malo fine laboret in fraudem ieiunii; * duplici videlicet peccato, primò ob turpe factum, quod ab eo ponitur, secundò ob appositam causam solvendi ieiunii; licet deinde, si reverà, ut dixi, moraliter ieiunare non potest, ad ieiunium non teneatur. Auctores suos Filiutius citat.

Quid in hac doctrina tam nefandum & horrendum sit, quod tam acres declamationes postulet; reverà non video. Supponit enim Filiutius, pravum illum, tum laboris illiciti, tum fraudis intentæ affectum revocatum fuisse. Si enim remaneret, haud dubiè illa omissio ieiunii ab illo vitaretur. Immò fieri potest, ut jam infirmus, in Sacramento Pœnitentiæ absolutionis gratiam acceperit, urgente scilicet necessitate: ut si quis ex duello, gravi vulnere accepto, & multa vi sanguinis effusa, decumbat: quis eum, amabò, quamvis sua culpa infirmum, ieiunii lege non solvat? Non

* Pag. 109.

nega-

negarim tamen, Ecclesiam iis, qui licito labore defatigantur, indulgentiorem esse debere; & in iis, qui sua culpa defatigantur, graviolem causam requiri, scilicet in pœnam: at posito, quod sit talis defatigatio, debilitatio, corporis infirmitas, ut infirmus jejunare non possit, nisi in probatissimum mortis, aut gravis morbi periculum incurramus, quis eum à jejunii lege immunem esse non dicat? si forte Jansenistas vestros excipiam, qui ut jam dixi, Pharisaïco more, aliis onera importabilia imponunt, eaque digito suo movere nolunt.

Quod attinet ad auctores pro hac sententia citatos, scilicet S. Antoninum, Sylvestrum, Medinam, Cajetanum, Angelum; Navarrum; expressa eorum loca imposturâ 8. legisti. Quid ergo tricaris, & miraris Jesuitarum frontem? quasi verò omnes eam corporis infirmitatem, seu dispositionem non intelligant, quæ jejunii impatiens sit. Quis tibi eget, ab Ecclesia aliquid præcipiente supponi vires ad id exequendum necessarias? quis neget sceleratum peccatorem plus jejuniis egere, quamvis difficilius, quam alii jejUNET? at si talis sit infirmitas, & virium lapsus, ut jejunare non possit, de hoc enim agitur; quis eum teneri dicat? sed tuas artes agnosco Willelme: hæc quæstio tibi parum curæ est: hoc prætexis nomine fraudem: Janseniana dogmata ubique defendis, licet de Jansenio ne cogitare quidem videri velis. Teneri nempe vis etiam eum, qui præceptum implere non potest: impotentia illa, quæ culpâ nostrâ contrahitur, à peccato nunquam liberat. Sic ignorantia juris naturalis, quam per peccatum contraximus, à culpâ non liberat. Agnoscis, ni fallor, nativum Jansenii vultum. Nihil affingo, immò nihil dico, quod rudis tyro non videat. Eò spectas: nempe res hujuscemodi

ad

ad probationem vestri erroris adducere soletis. Censura illa Lovaniensis suspecta est. Quàm infesta Jesuitis, quam addicta Bajo & Jansenio Academia illa hactenus fuerit, frustra reponerem; cum id neminem lateat. Nec Filiutius tam crudè loquitur: cur ejus verba non adduxisti, quæ tibi suggesta fuerant? nec ille quamlibet defatigationem intelligit, sed eam quæ maximam difficultatem pariat; eam nimirum, quæ ab implendo Ecclesiæ præcepto liberet. Vis hominem penitus exhaustum, & semimortuum jejunii lege teneri? Vah charitatem Pharisaicam!

N O T A I I I.

Baunii sententia, quæ Confessarium obligat ad pœnitentes absolvendos probabilem opinionem secutos.

Hæc sæpius inculcata fuit, & pro ea tam multi auctores scripserunt, ut vel unus illorum quadraginta sex alios citet: supponunt autem, opinionem quam pœnitens sequitur, esse verè probabilem, ac proinde talem cui etiam Confessarius, si velit, adhærere possit, utpotè qui illam probabilem esse sciat, licèt alteri adhæreat. Si tamen Confessarius prædictam opinionem falsam esse evidenter cognoscat, nullo modo eam sequi potest. Et verò, si ex illa opinione pœnitentem absolvat, illam in hoc sequitur: igitur talis esse debet, quam in praxi tutò sequi possit: igitur certò probabilis, ne ipse cum dubia conscientia operetur. Porro si talis est, quis neget eum teneri illam amplecti, in gratiam pœnitentis, quem ex officio juvare tenetur? igitur & illud agere, quod commodè & licitè agere potest, ad juvan-

juvandum illum : igitur opinionem illam ad usum & praxim reducere , cum aliter pœnitentem hic & nunc juvare nequeat.

Hoc etiam loco , dum Andabatarum more pugnare videris , tuos errores multiplicas , seu veriùs iterum iterumque repetis. Vis enim nullam unquam opinionem falsam , quantumvis probabilem , à peccato immunem facere ; quod erroneum esse , jam supra demonstravi. Unde concludis , non posse pœnitentem ulla lege absolvi , cum præter peccati maculam , habeat erroris contumaciam. Sed heus tu Wendrocki : illa pœnitentis opinio , cum probabilis sit , non falsa modo , sed etiam vera esse potest : suppone igitur veram esse : Confessarius igitur , qui oppositam falsam sequitur , errat & peccat , si alteri , quæ vera est , non adhæreat. Quid ergo factò opus ? Confessarius suam veram putat , ita tamen , ut falsam esse posse sciat : item pœnitens suam : igitur eodem hic jure suam , quo ille suam sequitur. Videndum ergo , quid expediat , & fatius esse videatur. Quis neget fatius esse , pœnitentem absolvi , cum licitè absolvi queat , quam absolutionis beneficio privatum dimitti , & sic agi in desperationem ? Hæc reverà si capias Willelme , tuas nugas , erroresque tuos revocabis.

* Subnectis deinde varias opiniones de homicidio , de contractu *Moatra* , de calumnia , de duello ; quæ jam ab Apologistis vel omnino rejectæ sunt (nam innumera per calumniam affinxistis ,) vel ita explicatæ , adjunctis scilicet iis conditionibus & legibus , ut speculative saltem , si non practice probabiles censeantur , eo modo , quem breviter quidem , at satis perspicue descripsi supra pagina 60.

Jam verò , quod aliqui dicant , licere aliquid , & non licere , id est , probabile esse licere , & probabile non licere ;

licere; probabiliter confessarium teneri, & probabiliter non teneri; mirum tibi accidit, & Dialectici personam induens, sic arguis: licet & non licet absolvere; igitur certò licet non absolvere; tenetur & non tenetur confessarius absolvere; igitur certò non tenetur. Novum sanè Dialecticæ genus: ex probabili certum efficit; immò, quod mirabilius est, ex duabus probabilibus oppositis & copulatis, alteram certam infers. Ab re personam Dialectici induis, qui tam ineptè & ridiculè illam sustines. Sic ergo melius ratiocinari posses, si tamen rationis patiens es, quæ in tanta perturbatione furoris, odii, & pervicaciæ vix locum habet: certum est, probabile esse, quod prædictus pœnitens sit absolvendus; igitur certum est, tutum & honestum esse absolvere: & quia certum est, etiam probabile esse, quòd absolvendus non sit; ideo certum est, tutum & honestum esse, non absolvere; quia nulla lex certò obligat, nisi certa; igitur neutra pars oppositam damnat. Sed, inquires, Cajetanus, & alii non solùm ex parte conscientia, judicium ultimum & practicum certum exigunt, verum etiam certam moraliter sententiam, quæ sit fundamentum conscientia, negantque sufficere probabilem. Respondent aliqui, hanc opinionem falsam esse, vel, ad summum, probabilem non certam. Ego aliter respondeo, & ni fallor, utrique parti facio satis: nempe ultrò concedo, illud ultimum judicium conscientia, citrà ignorantiam invincibilem, deduci ex sententia certa, scilicet ex illo judicio, quo judico certò talem, vel talem sententiam certam esse, vel probabilem, vel probabiliorem: igitur licèt supponatur opinio probabilis de tali vel tali objecto, supponitur tamen certitudo, id est, certum judicium de prædicta probabilitate; quod est fundamentum conscientia.

Quod

* Quod demùm subnectis de divino lumine, quo Confessarius à Deo illustratus, veritatem liquidò cognoscat; Calvinum olet, & interiorem illum spiritum, cui Hæretici divinæ veritatis notitiam acceptam referunt. Si nihil aliud, hoc satis animum tuum prodit. * *Pag. 112.*

N O T A I V.

De Joanne Sancio.

AGrè tulisti, quod Apologista Joannem Sancium eruditissimum Theologiæ Moralis Doctorem appellarit: tum quatuor ejusdem opiniones refers ex Diana; ac dicis, dignos esse Jesuitas, qui Sancium laudent. Vnius dictum omnibus attribuis; quo jure, divinare non possum. Prætereà eruditum esse, nemo profectò negaverit, nisi fortè, qui librum illius non legerit, sed tui similis apud Dianam paucos illius versus cursim oculis lustrarit. Omnes hujus auctoris opiniones defendendas non suscipio, * nec etiam Dianæ, aut Caramuelis, quia nonnullæ mihi probabiles esse non videntur, saltem in praxi: negari tamen non potest, quin eruditus sit & ingeniosus; quod nisi concedas, plus quam stolidus es. Nisi à sacra Indicis Romani Congregatione in prohibitorum album hic liber, ob aliquot assertiones, relatus esset; tibi auctor forem, ut illum apud illum, non apud Dianam legeres. Non rarò enim accidit, ut librorum coactores in iis exscribendis aliquando turpiter erent, ut is qui P. Amici objectionem pro ejusdem sententia traduxit & publicavit; & alius interrogationes, seu quæstiones Caramuelis, pro ratis ac fixis ejusdem decretis. Sed cum aded demissè de Sancio

* *Pag. 112.*

sentias

sentias, cur Romanam illam confixionem omisisti? nec enim tibi latere potuit. Verbo dicam; quia Romana est; &, quæ te pupugit, Roma placere nequit. Censuras Lovanienses & Sorbonicas ad nauseam obtrudis & jactas, quia Jesuitis adversas; Romanas retices, quia Jansenistis, & hæreticis infestas.

N O T A V.

Quo Pacto Jesuitæ Patres reverentur.

VIS SS. Patres à Jesuitis parum admodum reverenter habitos fuisse; quia Reginaldus dixit, potiorum rationem habendam esse recentiorum scriptorum in iis, quæ ad mores & quæstiones morales pertinent; antiquorum verò in iis, * quæ ad Fidei dogmata spectant. Grande scelus, Willelme, propter quod etiam in Apologistam acriter invectus es; sed sive Patres pro antiquis illis accipiat, ut sensit Annatus in responsione ad Theologiam moralem, sive pro aliis antiquis scriptoribus, qui Patres non sunt; quid inde concludis? Fallitur igitur Apologista, inquis; qui & negat, hæc verba in Cellotio reperiri, & antiquos illos à Reginaldo appellatos, alios à sanctis Patribus esse vult; cum tamen Annatus Patres in antiquioribus illis invenerit. Neuter sanè peccavit, cum uterque sensus in verba quadret, tum Reginaldi, tum Cellotii. Cum Patres ne nominent quidem; cur alios antiquiores, qui Patres non sunt, intelligere vetas? & cum etiam Patres antiquiores sint, cur Patres inter antiquos non recenseam? neuter igitur erravit; uterque rationabilem sensum exposuit. Quod autem illa verba, quæ Montaltius

* Pag. 113.

Cellotio affinxit, in Cellotio non legantur scilicet latinitate donata, sola locorum collatio demonstrat. Sed esto, Reginaldus ita censeat, Cellotius ita scribat. * Cùm in Morali Theologia non disputetur de certis morum regulis, quæ in libris Patrum habentur (has enim ut certas Theologi supponunt); sed de singularibus quæstionibus, quarum solutio, ut plurimum, ab aliquo textu aut Canone, aut Diplomate Pontificio petenda est; frustra apud SS. Patres solutionem illam investigarem, qui ante hujusmodi leges scripserunt. Adde casus particulares, quos apud SS. Patres non invenies. Nullum igitur piaculum, nullum scelus fuit, apud recentiores ea exquirere, quæ ipsi discussissent; non verò apud SS. Patres, qui omiserunt.

Cæterùm Apologista luculentis exemplis ostendit, quàm versati essent Jesuitæ in doctrina Patrum: Fronto, Sirmundus, Petavius, Turrianus indefesso studio Patrum volumina triverunt. Quid Suarez, Vasquez, Ruiz, Bellarminus, Toletus; quid Theophilus Rainaudus, Annatus, Martinon, Gretserus, Serrarius, quid alii ferè innumeri hac in parte præstiterint; orbi Christiano compertum est. Quid porrò Augustini, Chrysostomi, Gregorii nomina desideras in Filiutio & Reginaldo, in iis quæstionibus, quas agitant de Simonia, de Irregularitate, de Censuris, de Contractibus, Impedimentis matrimonij, ritu & usu Sacramentorum, aliisque hujusmodi? apage quæso istas nugas. Sed mirabilis es: sugillas Reginaldum & Filiutium, quod rariora Patrum loca excribant, & incitiæ tribuis: Baunium quoque acriter perstringis, quod multa & frequentia adducat, ad inanem, inquis, doctrinæ ostentationem. Est fanè quòd te bilinguem vocem; qui carpis

in uno, quod desideras in altero. Baunius tamen eodumtaxat nomine, hac in re scilicet, displicuit, quod ad dispositionem Sacrae Communioni necessario praemittendam, illa omnia non postulet; quae Arnaldus vester, quasi ex Tripode, Janseniano plenus Apolline, Christianae Reip. annuntiavit. Frustrademum carpis miserum illum & tardum Apologistam, eumque in facetorum hominum risum incurrisse dicis, * *ô imitatores servum pecus*; quod aggestis haereticorum nominibus, Montaltium voluerit imitari. Tu facetos homines, histriones scilicet & scurras Apologistae opponis: ego istis sapientissimos & religiosissimos opponere possem, qui lepidam illam Apologistae responsionem valde probarunt. Scurra vester multa nomina Casuistarum, Germanorum praesertim, & Hispanorum collegerat; ut Villalobos, Coninck, Llamas, Achokier, Dealkofer, Delacruz, Veracruz, Ugolin, Tamburin, Fernandez, Martinez, &c. & insulse quarebat perterrefactus, utrum illi Christiani essent: Apologista, ut *stulto secundum ejus stultitiam* responderet, haec alia nomina congeffit, Luther, Usher, Bucer, Tailer, Keiser, Groper, Tamber, Wittaker, Herman, Tilleman, Calagan, Hus, Thorp, Vrigth, Hork, Schuch, Crau, Whyght, Esch, Hall, Hun, Fryth, Hesch, Philpot, Testuvot, Jansen, Horden, Hitten, Sussen, Houvenden, Zanchius, Brandius, Scharpius, & interrogabat, utrum hi, quos haeretici pro suis auctoribus & Martyribus agnoscunt, revera Christiani essent. Longè melius interroganti responderes Willelme, si diceres ingenuè, Christianos quidem esse, at non Catholicos, eos tamen Jansenio vestro satis notos & familiares; quorum lectione multum ille profecit, & cuncta fere, quae in illo grandi vo-

lumine habet, ex iis puris putis fontibus hausit, ut P. Deschamps luculentissimis testimoniis allatis collatisque locis feliciter demonstravit. Parùm abfuit, quin nomen tuum, Wendrocki, attexerem. Probeinus an quadret, Hork, Wriyth, Whyght, Wendrock: quàm bene sonat!

In sextam Epistolam.

N O T A I.

EXcufas Montaltii ignorantiam ab Apologista impost. 25. ita demonstratam, ut luce meridiana clarior evaserit. * Fateri ergo debueras, & hoc qualecunque pœnitentiæ publicæ, quæ vobis magnopere placet, specimen edere; fateri, inquam, ultrò debueras, Montaltium ignorasse, quid Assassini & Proditoris nomen apud Canonistas significet, quatenus scilicet ad Censuras Ecclesiasticas contrahendas ab iis refertur: aut si hominem satis ignarum excusare velles, id satis erat dixisse, in Summistis, Casuistis, Canonistis & Theologis eum parùm versatum esse; vacasse dumtaxat lectioni SS. Patrum, apud quos hæc futilia invenire non potuit. Si hæc ingenuè dixisses, esset, quod sinceritatem tuam saltem laudarem, cum nec prudentiam, nec pietatem, nec sanam doctrinam in te quisquam laudare queat. Publicam illam pœnitentiam, quam misellis hominibus, qui vestro regimini se credunt, severè imponitis, nullatenus in vobis probare vultis; non estis *sicut ceteri hominum*, scilicet, ut Jesuitæ, Casuistæ, homicidæ, calumniatores, usurarii, Simoniaci: omnia Pharisaica aptè in vos quadrant; hoc unum dumtaxat omittitis *jejuno bis in Sabarho*. Sed bonus sum, qui vobis pœnitentiam & confes-

* Pag. 130.

confessionem publicam persuadere velim, quam à vobis, Censuræ Sorbonicæ, Episcoporum Decreta, Constitutiones demùm Apostolicæ extorquere hactenus non potuerunt. Vnum tamen rogo, aut saltem moneo, ut cum de aliquo puncto Juris Canonici vobis disputandum erit, Lexicon saltem & vocabulorum indicem consulatis, ne artis terminos & prima rudimenta ignoretis, & quispiam severus Canonista tritum illud occinat, *ne sutor ultra crepidam*. Escobarrio etiam fœdè imponis. Ab Apologista ita hujus calumniæ convictus es, ut vel mutire vel hiscere pudeat; Bonacinam & alios ab Apologista citatos, * quos per contemptum, leguleios vocas, scilicet Bartolum, Ambrosium, Farinacium, Peregrinum, Genuensem, Cajetanum, Probum, Ancaranum, Immolam, Suarez, Menochium, Julium Clarum, Covarruviam, Mascardum, Gutierrez, immò Clementem VIII. tam graves, & tanto numero auctores, nullius auctoritatis homines esse dicis; ut iis nescio quem Menagium inter auctores classicos innominatum opponas, & Mosæica præcepta nobis obtrudas. Et hæc dicere, hæc scribere non vereris? O tempora! ô mores! est tamen quoddam tibi facilius ignoscatur, qui stylum dumtaxat & latinitatem primariis hujus sectæ mystagogis non gratis quidem, sed pretio locasti.

N O T A I I.

Ecclesie leges desuetudine abrogari.

DE legibus humanis, Civilibus, & Ecclesiasticis, quæstio est: quas desuetudine abrogari, nemo sapiens, nemo doctus, nemo, qui rem intelligat, neget. † De antiquis pœnis, quibus blasphemi olim

* Pag. 131. † Pag. 131.

subjiciebantur, litem Filiutio moves; quòd scriptum reliquerit, omnes illas in usu ampliùs non esse. Quis hoc negat? quis non videt? experimento vestro facile probarem, qui blasphemias illas voces toties fudistis, aliqua Dei præcepta sunt impossibilia: Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus est: non tamen blasphemorum pœnas tulistis. Hic quoque Mascarenham perstringis, eò quòd dixerit, Sacerdotem nullius reum lethalis noxæ, si res ita postulet, rem sacram facere posse: quòd sanè, inquis, antiquæ severitati aditum obsepavit. Arnaldi causam peroras, qui & pœnitentiam publicam reducere, & fideles à sacro convivio, in quo Christus sumitur, per multos etiam annos remove conatur. Hujusmodi Reformatores Ecclesiæ semper suspecti fuerunt. cùm vel hoc nomine, sectarii omnes errores suos invexerint; nomen etiamnum prætensis, ut ajunt, Reformatis relictum est. Vnum tamen tecum sentio, antiquorum Canonum usum adversus hæreticos restituendum videri, in Gallia præsertim, in qua majores nostri tanto conservandæ religionis & fidei zelo tenebantur; ne Janseniana hæresis ulterius serpat. Sed optandum id potiùs, quàm sperandum. Ita enim præsentium temporum fors tulit. Exorandus Deus, ut manum ipse operi admovere dignetur.



Differ-

Differtatio Theologica,

De Perpetuitate Canonum.

S E C T I O I.

Certæ regula circa consuetudinem.

Amphora capit institui corrente rota, cur Urceus exit? Scurram egisti aliàs, nunc tandem Theologum agis; sed vide, ne pro conclusionibus Theologicis erroneas & hæreticas deducas. Initiò statim ultrò fateris, Leges Ecclesiæ ad ceremonias pertinentes per desuetudinem abrogari; * in aliis autem positivis, hanc jurisperitorum regulam non valere perperam asseris; & quia rem ita confundis, ut vix eam capere videaris, paulò distinctius explicanda est.

Duplex est Sacrorum Canonum & Decretorum Ecclesiasticorum genus; huc etiam refero Constitutiones Apostolicas. Primum est in doctrina fidei & morum, cum scilicet declaratur, aliqua propositio hæretica, vel aliquod factum turpe, ac divinæ legi repugnans; v. g. Simoniam vel usuram semper esse illicitam, item mendacium culpabile, &c. hujusmodi leges nunquam abrogari possunt, vel revocatione, vel desuetudine, vel alio quovis modo: nec item illæ, quæ sunt juris naturalis, ut lex æterna. Alterum est in disciplina, idque in multiplici genere. Vel enim ad ceremonias, & sacros ritus pertinet; & hoc abrogari posse, non negas: vel ad concessionem, indulta, gratias; sic Tridentinum Episcopis

* Pag. 132.

104 *In Dissertationem Theolog. de Perpetuitate Canonum.*
copis multa concessit, scilicet per delegationem, & summus Pontifex multa privilegia idem concedit; nemo autem Catholicus dubitat, quin ea revocari & abrogari possint: vel ad præcepta positiva, v. g. jejunii, abstinentiæ à carnibus, Festorum, confessionis annuæ &c. nemo etiam negat, hæc ab Ecclesia abrogari posse, nisi fortè aliqua institutionis Apostolicæ esse censeantur: vel ad pœnas & censuras, quas Ecclesia suis Dei que præceptis sæpè annectit; hæc quoque ab eadem Ecclesia abrogari possunt, non quidem quantum ad Dei præcepta, sed quantum ad pœnas annexas: vel ad mores Ecclesiasticorum formandos; hæc etiam mutare potest, immò nullis aliis, si velit, nisi communibus præceptis Ecclesiasticis adstringere: vel demum ad distributionem beneficiorum, dignitatum Ecclesiasticarum, Officiorum; quid in his summo jure possit Ecclesia, nihil est, quod dicam; quid ordinario, ex ipso usu constat. Certum est igitur, leges illas ab Ecclesia abrogari posse, quæ ab eadem latæ sunt, exceptis, ut dixi, Declarationibus & Definitionibus, in doctrina morum & Fidei: sic posterius Concilium abrogare potest Canones antecedentis, in materia disciplinæ; item is, qui succedit Rom. Pontifex, revocare potest Bullas, & Decreta suorum antecessorum, citrà Constitutiones in materia morum & Fidei; nec enim is, qui præcessit, alios, qui succedunt, eadem potestate privat. Excipio autem Canones & Definitiones Fidei; quæ cum ab ea potestate & infallibilitate, qua pollet, tum Concilium generale legitimum à Rom. Pontifice confirmatum, tum ipse Rom. Pontifex in definiendis Fidei & morum controversiis, proficiscantur; ut errori obnoxia non sunt, ita à succedentibus vel Conciliis, vel Pontificibus, revocari non possunt.

Hæc

Hæc est doctrina Catholica adeò communis, & trita, ut vel ipsi tyrones hoc sciant: quam haud dubiè, Willelme, non tenes; cum nullam legem Ecclesiasticam præter ceremoniam, abrogari posse afferas. Equidem Ecclesia approbare nequit, ut honestum & bonum, quod jam olim turpe & malum esse declaravit; & nunc quoque sanctos & castos ministros optat, ut olim: sed quis neget Canonicas pœnas abrogari posse, quas vel usurariis, vel Simoniacis, vel homicidis infligit? quis hoc, quæso, nisi hæreticus neget? Quasi verò ut leges ferre, ita eximere, dispensare, plectere, condonare, abrogare, aliaque id genus ad supremam Ecclesiæ & Romani Pontificis immediatam in omnes Christi fideles jurisdictionem non pertineant. Nec Ecclesiæ spiritus ex iis Canonibus, quos olim florens & libera sanxit, * meliùs cernitur, quam ex iis, quos deinde condidit. Quo spectes, satis video, Willelme. Ecclesiam modò liberam esse non putas, nec Concilia posteriora libera, quia Romani Pontificis auctoritas, Ecclesiæ, ut fingis, libertatem oppressit. O hæreticum caput! hoc à Calvino Sancygiranus, & ab hoc ultimo Janseniani acceperunt. Quasi verò libertas Ecclesiæ, alia sit à libertate Summi Pontificis; suprema Ecclesiæ potestas alia sit ab hujus potestate. Sancta Sedes, totius jurisdictionis Ecclesiasticæ fons est, Romanus Pontifex, Ecclesiæ caput visibile, à quo in reliqua membra spiritus jurisdictionis descendit, Conciliis etiam legitima auctoritate convocatis, sua auctoritas inest; quatenus Rom. Pontifex iis præest, aut Decreta deinde confirmat. Igitur nemini Catholico, dubium, quin ii Canones, qui ad disciplinam pertinent, à Rom. Pontifice revocari possint, ac proinde ipsa desuetudine abrogari. Hoc fanè mirari satis non possum: anti-

* Pag. 33.

quos

quos Canones, ad disciplinam scilicet Ecclesiasticam pertinentes, minimè observatis; novos admittere recusatis ab ultimis Conciliis conditos: quid, amabò, rei? sacros Canones, semper in ore habetis, nunquam in opere: ab antiquis præsens Ecclesiæ usus vos exemit; à novis ipsi vos eximitis. Videte, ne id vobis bellè conveniat: *dicunt & non faciunt*. Non negarim tamen, nec Jesuitæ id negant, per abusionem desuetudinem inductam aliquando fuisse, & abusionem, per crimina, saltem ut plurimum, & legum violationes. Sed de ipsa desuetudine agitur, non de illius causa; qua semel posita, legem abrogari certum est.

¶ Satis lepidum est, quod subnectis: * *Canonicas pœnas, pro variis criminum generibus assignatas, Divinæ institutionis esse, ac proinde juris Divini. Quasi verò Sacramentum Pœnitentiæ sine Canonicis pœnis esse non possit. Hinc Canones illos de pœnitentiâ, vis ab Ecclesia abrogari non potuisse: hinc Arnaldus pro iis restituendis acriter pugnavit. At Concilium Tridentinum nullam, Canonum de pœnitentiâ, mentionem facit; sed de Sacramentali satisfactione, quæ à Confessario injungitur, & ejusdem prudentiæ relinquitur. † Ex longiore illo Doctoris Angelici loco, quem exscripsisti, quid aliud constat, nisi per contrariam consuetudinem jura humana abrogari? præsertim, si contrariam illam consuetudinem ii dissimulent, in quorum potestate est, jus positivum mutare. Igitur ex D. Thoma quælibet lex positiva humana, sive Ecclesiastica, sive Civilis, desuetudine, vel Principis auctoritate abrogatur. Cur ergo dicis, tales pœnas, quibus, per sacros Canones, Simoniaci subjiciuntur, aboleri non posse ab Ecclesia? quod reverà erroneum est: quamvis propterea omnimoda impunitas non conce-*

* *Pag. 133. † Pag. 134. 135. & 136.*

deretur;

deretur; semper enim crimen aliqua pœna dignum est. Equidem Ecclesia declarare nequit, Simoniam turpem & culpabilem non esse; potest tamen revocare Canones illos, qui talibus pœnis Simoniacos subjiciunt: immò idem talem Ecclesia à Censuris, in quas incurrunr, eos exolvit. Igitur illæ pœnæ, vel Censuræ jure Divino non stant; ut temerè garris: alioquin nulla consuetudine contraria abrogari possent. Quis enim Casuista unquam dixit, ea quæ sunt juris æterni, vel naturalis, desuetudine abrogari?

Sed exemplis contrarium probas. * Contendunt Casuistæ, inquis, multa positivo dumtaxat jure illicita esse, quæ tamen divino illicita esse constat: v. g. accepta à judicibus munera, dare pecuniam, ut *motivum*, vel invitamentum, non ut pretium pro beneficio, contractum *Moatra*, aliaque id genus. Nemo negat, quin juri naturæ repugnet, judicem accipere munera, ad ferendam injustam sententiam? Vtrùm verò repugnet ad ferendam justam, majore scilicet, studio, cura, opera, diligentia; non ita certum est, ut dicis. Equidem tenetur, ad justam ferendam; sed teneri ad aliquod opus honestum, diversis titulis & nominibus, nihil vetat. Sed bonus sum, qui in his hæreo, quæ ab Apologistis fusè discussa sunt. Hoc dumtaxat unum subnecto: nullum unquam Casuistam dixisse, aliquid contraria consuetudine abrogari, quod jure Divino illicitum sit: nullus tamen verè Catholicus unquam dixit, Sacros Canones, qui ad pœnas & Censuras pertinent, ab Ecclesia revocari non posse. Quantum porrò temporis requiratur, ad veram desuetudinem inducendam, auctores disputant: id sanè prudentis judicio relinquendum esse videtur. Ea tamen esse debet, ut iis, ad quos spectat, non profusè ignota sit. Quid Ecclesiæ tolerantia omnibus nota

108 *In Dissertationem Theolog. de Perpetuitate Canonum.*
esse debeat, sine fundamento adstruis: sufficit ut pas-
sim nota sit. Collabenti Ecclesiasticæ disciplinæ, in
paucorum firmitate, præsidium esse, perperam asseris;
tuos Jansenistas haud dubiè intelligis, qui prædictæ
disciplinæ rigorem more Pharisaïco affectant: quo
verò sine, Deus scit. Ne quid dissimulem, errorem
Montani, & Donati superbiam, non parùm redolent.
* Addis, prædictos Canones, scilicet *de pœnitentia*, ad-
huc stare, non obstante tolerantia Ecclesiæ, quæ, in Sa-
cramentorum administratione, arcana flagitia, erro-
resque permittit, & erumpentia tantùm plectere satis
habet. Hæc pura puta Jansenii mens est, qui pro bono
pacis, errores etiam in suis ministris ab Ecclesia
dissimulari, & tacitè tolerari dicebat. Aliquot *labes*,
inquis, (in Fide scilicet & moribus) *majoris mali vitan-
di causâ*, Christiana prudentia tolerari præcipit. Sed id
erroneum est. † Hoc etiam loco, Episcopis, non mo-
dò Divinam auctoritatem, sed Ecclesiasticæ potesta-
tis plenitudinem divinitus concessam attribuis: quæ
uni dumtaxat Romano Pontifici competit. Ac de-
mùm in Ecclesiæ rectores inveheris, qui, Jesuitarum
consilio, nihil cogitant de antiquis Canonibus resti-
tuendis, de reformanda Ecclesia, &c. Utinam illi ve-
stri, hujusmodi reformationibus minùs addicti essent!
hæc vox *reformationis*, hæreticorum perpetua fuit. Cu-
rent Tridentini Decreta observari; erga Sanctam Se-
dem propensiores sint, & observantiores; Apostolicas
Constitutiones, eo, quo par est, honore excipiant,
suam dignitatem eidem acceptam referant, pro more;
doctrinas novatorum non ferant; misellis Regulari-
bus non adeò infensos ac infestos se præbeant; paulò
mitiùs agant cum iis hominibus, qui Ecclesiam Dei
suis litteris, virtutibus & miraculis, immò illorum
ordinem sanctissimis & doctissimis viris illustrarunt;

* Pag. 128. † Pag. 139.

farta

facta & recta servant illorum privilegia; immunitates ne lædant à Sede Apostolica profectas; si quid fortè delinquant, homines enim sunt, servato juris ordine à Tridentino sancito agant. Uno verbo Regularium potiùs, quàm Jansenistarum operâ utantur. Istorum enim damnata doctrina, & Pharisaïci mores: illorum doctrina Catholica, & mores ad consilia Evangelica formati. Non deerunt alii ejusdem ordinis, iique optimi, quos imitentur.

S E C T I O I I.

Exempla quibus ostenditur, quantum Casuista in has regulas peccent.

Repetis iterum, leges Ecclesiasticas jure Divino & naturali constitutas & sancitas esse; ut indè concludas, dispensandi, abrogandi que potestatem, penès Ecclesiam, ac Romanum Pontificem non esse. Tantam hujus auctoritatem, qua te tuosque coërcuit, ægerrimè ferre videris: sacri Canones nihil aut parùm ad te: merum obtentum esse constat. Quasi verò perpetuus Ecclesiæ usus, Chimæricis vestris reformationibus anteponendus non sit.

*Suarezium primo loco aggredieris, Pygmæus Herculem, Therites Achillem. Vin' te Ranæ apologi meritò comparem? cave ne tumore, plus æquo, distentus crepes. Quid verò peccavit Suarez? dixit, inquis, communi usu jam receptum esse, ut inferiores Pastores & Curati beneficia mutent, ad alia pinguiora ascendant, cum pensione renuncient, ea que assumant eum animo retinendi ad aliquod tempus, sed non perpetuò, nec enim illi statum, sed ministerium pro illo tempore habere dicuntur. Hæc sanè Parochos, famo-

110 *In Dissertationem Theolog. de Perpetuitate Canonum.*
famofæ præsertim Ogdoadis, non leviter pupugere, qui statum illum suum jure Divino, ac proinde indispensabiliter (dabis mihi hanc vocem) habere se dicunt: quod quàm à ratione alienum sit, Sanctæ Sedi, atque adeò ipsis Episcopis injuriosum, nemo non videt. Supponit autem Suarez talem usum, quem Ecclesia non modò tolerat, sed suis, ut ajunt, *provisionibus* probat. Crede mihi, merum ministerium est, cui Ecclesia propriam jurisdictionem conjunctam esse voluit: quod ab inferioribus quidem Prælati amoveri & supprimi non possit; secus tamen ab Ecclesia & à Rom. Pontifice. Catholici omnes ita sentiunt: atque ita difficultas soluta manet. Supponit autem doctissimus auctor, bono animo & fine, non sordido, ut dicis, lucri appetitu id fieri. Nam reverà, si turpis finis aliquem moveret, non modò ille ad pinguius promoveri non deberet, sed potiùs tenui, quo jam truitur, privandus esset. Mercenarios & falsos Pastores ab Ecclesia removendos esse clamitas. Vtinam, Willelme, id fieret! Suarez haud dubiè suo calculo, sanctum illud consilium donaret: sed in tanta Ecclesiasticorum multitudine, illud sanè optandum, vix tamen sperandum est. In hoc Jesuitæ, modò sincerè loquaris, tecum sentiunt; sed *timeo Danaos & dona ferentes*. Quid enim his tumultibus occasionem præbuit? cum tute scias, aliis cogitandum relinquo. Jesuitis odium, invidiam, suspicionem, pessimam famam, celebris Ogdoas conciliare summo conatu enixa est: quamobrem verò? ut ab iis fideles arceret. Sed quorsum? ut Jesuitis relictis, Parochis regendos se traderent. Si puro divini cultus & salutis animarum studio, non lactis ovium & lanæ amore ducerentur; nunquam profectò illas satyras, quarum maximam partem, in tuas notas, ad splendorem & ornamentum

tum

In Dissertationem Theolog. de perpetuitate Canonum. III
tum, transtulisti, in publicam lucem edidissent. Quis enim divinæ charitatis ardore illos flagrare crederet, qui publicum illud plusquam Vatiniani odii monumentum esse voluerunt? Nicænus Canon aliique, quos citas, nihil ad rem, quia non modò Curionem, verùm etiam alios Presbyteros, Diaconos, & Clericos ad aliam Ecclesiam transire, sine licentiâ Episcopi prohibent. Quasi verò prædictæ permutationes, resignationes, provisiones, sine licentia modò fiant, aut Suarez id dicat. Recole quæso, totum illud caput à te citatum, & cura, ut tui illi paulò attentius legant: nempè ibi meram Doctoris Angelici mentem, & sanam doctrinam invenient; quamvis oppositam illis chymæris, quas pro veris Traditionibus jactare non cessant.

Alterum exemplum ex Filiutio, & Th. Sanchez repetis; qui dicunt, pœnas contra blasphemix crimen jure antiquo statutas, defuetudine abrogatas esse; & Decretum Concilii Lateranensis ultimi sess. 9. quod incipit *ad abolendam*, ipso usu receptum non esse, ut docent Armilla, Emanuel Sa, Azor, Suarez: omnes, inquis, Jesuitæ præter Armillam: * quasi verò Armilla sit auctor, & non titulus Summæ à Fumo compositæ. Hinc autem in tragicas voces, & luctuosas declamationes insanus erumpis; hinc Clerum Gallicanum, Episcopos, Regem Christianissimum, Romanum Pontificem, Ecclesiam Mediolanensem, S. Carolum, terras, cælumque profundum, Superos & Acheronta lamentabili voce compellas, imploras, excitas adversus Jesuitica flagitia. Quorsum hæc? quia dicunt, talem usum esse. Quis hoc non videat? nihil argumentis opus est, sed ipso sensu. An blasphemis lingua candenti ferro perforatur, vel abscinditur? quis, amabò, contrarium usum non videt?

* Pag. 14.

Sed

Sed, inquis, gravis faltem pœnitentia à Confessario blasphemis imponenda. Cur negas, gravem imponi? pro more scilicet gravium, ut ab Ecclesia modò usurpantur. Sed esto, illud Concilii Lateranensis Decretum usu receptum sit: numquid res severi Confessarii arbitrio relinquitur? numquid etiam consonat Tridentinum? Præterea cur usum petis à paucis, non verò à majori parte? à paucis, inquam, tui similibus, qui veterem Canonicae pœnitentiæ praxim, contra expressam Tridentini mentem, pro peccatis scilicet occultis reducere conantur, licet, ut ait Synod. sess. 14. cap. 5. *nec præcepto divino mandatum sit, nec satis consultè humana aliqua lege præcipi possit, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Præsertim secreta, inquit; igitur publica etiam, saltem ut plurimum, complectitur. Quòd hîc locus Emanuelis Sa à Magistro Sacri Palatii mutatus fuerit, & oppositum ab eodem substitutum, * Jesuitæ non negant; quamquam *gravissimam* in *gravem* mutavit; nec ulla censura fuit, ut dicis: immò ex propositionibus mutatis, unica dumtaxat, de absolvendo scilicet absente, ab Ecclesia damnata est. Sed ille auctor, ante Clementis VIII. tempora, qui propositionem illam damnavit, aphorismos scripserat; & eam à multis Doctoribus, iisque gravissimis, acceperat. Sed quid levissimos naves hujus auctoris de re morali benemeriti, cum tuis crassissimis erroribus comparem, qui singulis ferè lineis occurrunt? nota quæso hanc paginam, in qua damnas Cellotium, eò quòd *nefarie*, ut inquis, dixerit, aliqua Conciliorum & Pontificum Decreta, in materia scilicet disciplinæ, ab Ecclesia esse abrogata: ab *Ecclesia*, inquis, *Jesuitica*. Hinc virus erumpit, & dolus patet. S. Sedis auctoritatem Jansenistæ tui ferre non possunt: perditam vellent,

* Pag. 142.

In Dissertationem Theolog. de Perpetuitate Canonum. 113
quæ illos malè perdidit. At quod Cellotius adstruit,
nemo Catholicus negat. Vide qui sis; cum ipse ne-
ges, & nefandum voces. Ad illud demùm, quod
adeò vehementer exaggeras, de Concilii Latera-
nensis Decreto; præter ea, quæ supra dixi, ex Con-
ciliorum Summâ hæc pauca exscribo, quæ tibi fortè
facient satis. *Ambiguum est, an Censura lata in hoc Concilio
sint usu receptæ, ut annotatur à Cardinale Cajetano in sua Sum-
ma V. excommunicatio, & à me etiam ambigitur: pleraque
earum usu non observantur, quo solo poterant abrogari. Hæc
Coactor. Adde Cajetani dictum in Sum. V. excom.
c. 75. nisi consensu utentium, inquit, lex fuerit firmata, pro
non lege habetur.*

SECTIO III.

Antiqua Ecclesiæ disciplina circa Pres- byteros lapsos.

Nonnullis probabile visum est, Presbyterum eo-
dem post lapsum die, contritum scilicet & ritè
absolutum, * præsertim si ad id ex officio, vel proprio
statu teneatur, sine ullo peccato posse rem sacram fa-
cere: nam & contemptus abesse, & status gratiæ, cum
aliis dispositionibus pietatis actualis, ut ajunt, adesse
supponitur; & alioquin alicujus offendiculi, seu scan-
dali, ut vocant, vel suspicionis periculum est: nam de
lapsu occulto quæstio instituitur. Postquam in Bau-
nium, Vasquez, & Mascarenham, quorum imperitiam
& impudentiam laudas, invectus es; inde occasionem
arripis longiùs excurrendi in vastum antiquæ Eccle-
siasticæ disciplinæ campum, circa lapsos & pœniten-
tes: parum abfuit, quin totum Arnaldum, & Mori-
num, quantus quantus est, huc traduxeris.

* Pag 143.

Multa facilè asseris; quæ eadem facilitate negantur. nec quidquam ex confusa illa locorum farragine, legitima consecutione concludi potest; quod certum & perspicuum sit. Nihil tamen probabiliùs super ea re dici posse videtur, quàm quod à Bagotio, libro singulari *Dissertationum Theologicarum*, editum est: scilicet, Pœnitentiam publicam seu Canonicam à Sacramentali diversam fuisse; publicam illam, non pro quibuscumque peccatis mortalibus, sed tantùm pro publicis, nec pro omnibus publicis, sed pro enormibus fuisse; nullam pro occultis fuisse nisi merè spontaneam; absolutionem illam, etiam ultimam pœnitentiæ publicæ, non fuisse Sacramentalem; varium fuisse in variis regionibus pœnitentiæ publicæ usum & ritum; illam fuisse tantùm institutionis Ecclesiasticæ; ac proinde ab Ecclesia jure abrogari potuisse; jam dudum apud Græcos à Nectario suppressam; pœnitentiam publicam nunquam fuisse sine exhomologesi, id est, sine confessione publica, sive spontanea esset, scilicet occultorum, sive de præcepto Ecclesiastico, publicorum enormium. Cuncta hæc longè mihi probabiliora videntur; nec difficilè ex locis, tum à Bagotio, tum ab Arnaldo, tum à Morino adductis colliguntur. Utrùm verò præsens Ecclesiæ ritus Sacramenti pœnitentiæ administrandi, cujus ratio & partes à Conciliis Florentino & Tridentino clarissimè traditæ sunt, tantam, ut aliqui plusquam flebiliter deplorant, Ecclesiasticæ disciplinæ collapsæ ruinam importet; non ita facilè concesserim: plus sanè terroris, at fortè minus clementiæ & Christianæ mansuetudinis præfererat. Hinc ante Novati hæresim, vix ullum illius vestigium: immò Morinus asserere non dubitat, primam illam formam ad ritum hujus temporis non parùm accessisse. Non negarim,

illi

illi sua fuisse commoda; sed etiam incommoda & offendicula non defuisse, nemo inficias eat. Ritus præfentis temporis ad fidelium consolationem, commodum, numerum, longè accommodatior esse videtur. Multi abutuntur, sat scio: sed etiam multi mirificè inde juvantur, & non pœnitendo compendio, ad Christianæ & perfectioris vitæ usum perveniunt. Innumeros sanè peccatores, optimæ parentis Ecclesiæ charitas, ad meliorem frugem adductos Christo lucrata est; quos alioquin durus ille rigor desperationi reliquisset.

Equidem peccatores ad pœnas illas spontè suscipiendas Confessarii hortantur, cum ex spontanea illa corpusculi afflictatione, non modò incredibiles meriti, satisfactionis, & impetrationis fructus prove-niant (suppono enim hominem justificatum, ut ajunt;) verùm etiam suavissimæ consolationis interna vis, & interioris torrens voluptatis, ubertim fluat. Sanè, in tanta fidelium multitudine, vix fieri potest, quin aliqui mali & boni sint, pauci optimi & pessimi, mediocri status plurimi. Nec antiquis illis temporibus sua vitia, errores, scandala, defuerunt. Horret animus, cum Salvianum sui temporis Hieremiam & Historicos lego: nempe, exceptis primis illis nascentis Ecclesiæ primitiis, & tinctis sanguine Martyrum reliquiis, multus passim contentionibus, erroribus, ambitioni, avaritiæ, turpitudini, fraudi, bellis & scandalis, locus fuit. Non adeò sum *laudator temporis acti*, quin etiam præsentis virtutem & sanctitatem, res fidei optimè constitutas, probatissimos multorum Ecclesiasticorum, Regularium, & Sæcularium mores, magni faciam. Sed ad te redeo, Willelme, qui haud dubiè aliter sentire videris; & ita primævæ Ecclesiæ disciplinam extollis, * pro qua eruditum, ut vocas,

* Pag. 144.

116 *In Dissertationem Theolog. de Perpetuitate Canonum.*
Arnaldi librum mirificè laudas, ut jam tota penè
collapfa esse videatur.

Afferis igitur, antiquo jure, constitutum fuisse,
ut Clerici, qui se aliquo crimine, luxuriæ præsertim,
commaculassent, in perpetuum gradu deicerentur.
Capitale crimen dicere debueras; sic enim Cæsarius
vocat: item publicum, non occultum; publicum
inquam, de quo, scilicet, in judicio accusari possent:
nec demum quodlibet publicum, sed enorme & ca-
pitale, ut supra laudatus Bagotius luculenter demon-
strat in aureo libello, etiam à me laudato. Quod enim
dicas, Hincmarum, S. Anselmum, Burchardum, Ivo-
nem in hoc hallucinatos fuisse, & in fraudem indu-
ctos adulterinis quibusdam Epistolis Gregorii, Ca-
lixti, & Isidori Hispalensis, ab insigni Impostore,
nomine Isidoro, scilicet Mercatore, confictis; *
perperam & temerè dictum, omnes ad unum Catho-
lici censebunt. Ecquis in hoc tibi potius fidem habeat,
quàm Hincmaro, viro sanè doctissimo, & rerum
Ecclesiasticarum peritissimo, nec non usus pœniten-
tiæ publicæ, quæ illius tempore præsertim vigebat?
cui, amabò, persuadebis, illum ignorasse, occultis
peccatis mortalibus publicam pœnitentiam fuisse im-
ponendam? nescivisse, quibus Decretis staret com-
munis exhomologesis usus, iis temporibus familia-
ris? perinde sanè atque si diceres, doctissimum ali-
quem hujus temporis Episcopum, v. g. Tholosanum,
nescire, quibus modò partibus constet Sacramen-
tum pœnitentiæ.

Prætereà Hincmarus non ignarus modò, & Episco-
palis muneris imperitus habendus esset; verùm etiam
mentis inops, & experts ratiocinii. Dicis enim res-
pondisse falsum Gregorium, in afficta illa Epistola ad
Secundinum, Sacerdotes lapsos, post dignam satis-
factio-

* *A Pag. 145. ad 150.*

factionem, ad pristinum ministerium revocari posse: qua de re Hincmarus nullatenus agit; cum id unum dumtaxat velit, occulta crimina Clericorum non esse publicanda, sed Dei iudicio relinquenda, in pœnitentia scilicet Sacramentali. Quid, quæso, inter hoc, & illud connexionis intercedit? & si nihil aliud Gregorius habet, quid facit illius auctoritas ad probandum, Sacerdotes lapsos, sed non detectos, à ministerio non esse removendos? Deinde, quis credat, omnia exemplaria operum Gregorii à Mercatore illo adulterata fuisse, & nullum amplius exemplar integrum extitisse, in quo Hincmarus, S. Anselmus, Burchardus, Ivo, aliique sinceram Gregorii mentem invenirent. Octo manuscripta Anglica, teste Jamesio, inventa sunt, à quibus hæc abest lacinia, ut dicis. At B. Anselmus Cantuariensis Episcopus integrum codicem nancisci non potuit? Hincmarus denique vir satis emunctæ naris, qui vix centesimo quinquagesimo anno post S. Gregorium vixit, ejusdem Gregorii singularem styllum à barbarismis & solæcismis Isidori distinguere non potuit?

Quid, quod, nescire non potuit Ecclesiæ Romanæ usum & praxim? cum ad Nicolaum I. Rom. Pontificem sæpissimè scripserit, & ab eo multas litteras acceperit. Sed inquires, Rom. etiam Pontifices in errorem à Mercatore illo inducti fuerant. Apage istas nugas, vel, ut veriùs dicam, blasphemias. Hincmarum haud dubiè odisti, quòd nequissimum illum Gotteschalcum, obstinatum Prædestinatianæ hæreseos præconem & defensorem, Concilii iudicio damnatum, correptum, & virgis cæsum represserit, ac in officium redegerit. Hunc autem vos cum Prudentio Tricassino, Sanctorum albo adscriptum in Jansenianum Kalendarium traduxistis. Nemini sanè, qui vos

H 3 noverit,

118 *In Dissertationem Theolog. de Perpetuitate Canonum.*
noverit, dubium sit, quin hæc fuerit odii vestri ad-
versus Hincmarum causa. Quid porrò de Anselmo,
de Burchardo, & Ivone Carnotensi dicam? quos nemo
nisi ignorantissimus, hac in re, ignorantia infimulet;
utpote qui non modò Romanæ Ecclesiæ praxim
& usum nescire non potuerunt, verùm etiam ex pro-
fesso rem hanc ita discussèrunt, ut nihil reconditum,
nihil abstrusum, nihil adulteratum ad Pœnitentia-
les, ut vocant, Canones pertinens eorum diligen-
tiam effugere, aut fallere unquam potuerit. Sed pro
Hincmari & Gotteschalci causa ad Cellotium te re-
mitto; qui rem hanc grandi volumine, eo styli ni-
tore, rationum pondere, multiplici doctrinæ & eru-
ditionis lumine profecutus est, ut in hoc opere, ni-
hil à doctis & Catholicis desideretur. Sed ad rem no-
stram, vel potiùs tuam redeo, ac te monitum seriò
velim, ut illud, quod tam audacter adstruis, omni-
no expungas; * nimirum per mille & ampliùs annos,
Sacerdotibus, sive clam, sive palam in carnis flagitia
lapsis, reditum ad suam dignitatem nullum patuisse.
Quod porrò subdis totam Ecclesiam falsis Gregorii
& Calixti Decretis deceptam, contrariæ consuetudi-
ni minùs fortiter repugnasse (nempe in totam Eccle-
siam hæc consuetudo inducta est, & Tridentini De-
creto firmata;) vis ingenuè dicam? non responsione,
sed antesignani vestri Gotteschalci virgis dignum
esse videtur.

† Tum Mascarenhæ & Baunio solitam convitio-
rum eluviem aspergis. Quamobrem verò? quod Sa-
cerdotes verè contritos ac rectè dispositos, occulto
carnis peccato adstrictos, absolvi posse scripserint;
quod eos non suspenderit à Sacri ordinis exercitiis;
quod pœnitentiam publicam eisdem non imposue-
rint: hæc sunt eorum crimina, hæc flagitiosa, ut ais,

* Pag. 150. † Pag. 150.

doctri-

doctrina; hæc nova Jesuitarum corruptela. Somnias profectò, somnias, ut mitissimè loquar, nam potui ac debui dicere, deliras Willelme, deliras. Quis enim absolutionem, rectè disposito ac verè contrito sine crimine & injustitia negare possit? quis dicat, pœnitentem à Confessario, qui Prælatus non sit, suspensionis vinculo ligari posse? quis asserat pœnitentiam publicam pro criminibus occultis ab eodem Confessario esse injungendam contra perspicuum Tridentini Decretum? Licèt enim Ecclesia pœnitentiam publicam etiamnum imponat, illa tamen Sacramentalis dici nequit: sed vel ut Ecclesiæ fiat satis, pro quibusdam enormibus flagitiis; sic pro Presbytericidio publico, flagellatio etiamnum adhibetur; vel ut præcedente incestu, ad tollendum matrimonii impedimentum, contracta obligatio, aliis operibus piis compensetur. Quis demùm dicat, Sacerdotem Sacramentali pœnitentia ritè expiatum ab Altaribus arcendum esse, qui sine scandalo, & aliorum offensione, vel suspitione amoveri, non possit? Is Arnaldi finis & scopus, ut fideles ab Eucharistica communione removeret. Nihil igitur, quod valdè suspectum non sit, in hac causa proferre valetis. Jam Gotteschalci doctrinam de Eucharistia singulari opere approbare voluistis, cujus etiam Samuel Maresius amicus vester, insignis laudator fuit. Pœnitentiæ publicæ res parùm vestrâ interest; nisi quatenùs in eo potissimam pœnitentiæ publicæ partem positam esse dicitis, quod quis ab Eucharistiæ Sacramento diù abstineat. Rem ultra non urgeo, pro qua sæpè ac sæpiùs vapulastis.

Imponis autem ac mentiris Wendrocki, * cum scribis, Sacerdotes à nefandis abominationibus adhuc recentes, à Jesuitis ad sacratissima mysteria propelli. Nunquam, ut video, apud illos Patres peccata depo-

* Pag. 151.

fuiſti : alioquin tuo periculo probaſſes , quàm acribus objurgationibus flagitioſos illos excipiant , quàm ſæpenumerò ſine abſolutione remittant , quos ſatis diſpoſitos eſſe non credunt , quàm ſedulò moneant , atque hortentur , ut eo ſaltem die , à re ſacra faciendâ abſtineant ; nunquam tamen indulgeant , quantum ſcilicet per eos licet , niſi certi ſcandali vitandi cauſâ. Vno verbo, illa tantum converſio cordis ad ſuſcipiendum abſolutionis beneficium requiritur , quæ contritione ſaltem imperfecta , quam attritionem vocant , integra confeſſione , & vero propoſito in poſterum non peccandi conſtat. Nec enim ſatisfactio abſolutioni neceſſariò præmittenda eſt : nec perfectam contritionem illud Sacramentum deſiderat. Sat ſcio, vos ſecùs ſentire : ſed tam multi nugas , erroresque veſtros in hoc argumento, egregiè refutarunt , ut eidem operæ mihi diutiùs inſiſtendum non ſit.

Negas deindè , * idque per errorem, fieri poſſe, ut Sacerdos in noxam lethalem carnis per fragilitatem lapſus , poſt unam , vel alteram horam paratus ſit , ad Sacramentalem pœnitentiam. Erronea veſtri Janſenii principia , ob oculos ſemper habetis : Vis illi gratiam ſufficientem deeſſe , quam chimericam & monſtroſam eſſe dicitis ; ac proindè reverà poſt lapſum reſurgere non poſſe , cum illi gratia ad hunc effectum neceſſaria deſit. En purum putum Janſeniſimum. Mox in hanc rem longiſſimum Aurelij, hoc eſt , Sancygiranum locum exſcribis. Ita ſordes ſordibus illuſtrare voluiſti ; cum tamen ſœditate potiùs , & eluvie contaminaveris. Gemina , quæ ſubduntur , D. Thomæ loca pro Jeſuitis aptè faciunt, nempè *Deus, inquit, quandoque movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis motus præcedit gratiam.* De contritione imperfecta clariùs teſtimonium eſſe non potuit ; quæ re-

* Pag. 152. & 153.

verà

rà præcedit gratiam, scilicet habitualement, quæ vi Sacramenti, cujus attritio pars est, infunditur. Sed quandoque statim perfecte movet ad bonum; & subito gratiam homo accipit. Ecce tibi contritionem perfectam, per quam homo justificatur. Alter locus eodem modo explicatur de conversione imperfecta & perfecta. Si tecum mihi res esset Willelme, tuis armis contra te pugnarem, iisdemque locis ad refellendos errores tuos uterer, quæ ipse contra Jesuiticam doctrinam adduxisti. Ostentas eruditionem in illa locorum farragine: sed insanam temeritatem & stultitiam vel ex eo palam ostendis, quod iisdem Patrum & Doctorum testimoniis, ea, quæ adstruis, confutentur, quibus eadem apud indoctam plebeculam demonstrare voluisti. Quod demum negas, pœnitentiam publicam usu esse abolitam, pro occultis scilicet criminibus (si tamen pro iis unquam viguit) eamque Tridentini Decreto renovatam esse scribis; sibilis potius & irrisione, quàm alia refutatione aut ratione rejiciendum est. Insanis mi homo, insanis, nimium factionis studium, & plusquàm Vatinianum adversus Jesuitas odium te ad insaniam redigunt: cum Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* expressè habeat, publicam confessionem Divino præcepto nunquam fuisse mandatam, nec satis consultè humana aliqua lege præcipi posse, immò secretam confessionem Sacramentalem à sanctissimis & antiquissimis Patribus magno unanimique consensu commendatam fuisse, eaque ab initio Ecclesiam usam esse, & modò etiam uti.

Ad horrendam doctrinam Escobarii de nefando crimine descendis, * & ad Bullam Pii V. quæ incipit, *Horrendum*, rem istam malitiosè quidem, sed pueriliter exaggeras. Quis unquam Iesuita negavit, crimen illud esse enormissimum, flammis reverà ultricibus expiandum?

* Pag. 154.

122 *In Dissertationem Theolog. de Perpetuitate Canonum.*
piandum? sed cum illa Bulla tam dirum nefas *exercen-*
tes appellet, haud dubiè vox illa consuetudinem, seu
frequentiam significat; ut Doctores observant, Bar-
bosa in c. Clerici de excess. Prælat. Garcias par. II. c.
10. n. 198. cum omnibus aliis: licet nemo neget, quin
scelerati illi homines propter unum actum possint &
debeant de gradu dimoveri, tradique sæculari foro pu-
niendi; non tamen vi hujus Bullæ, sed vi d. cap. *Cle-*
rici, ut omnes observant cum Farinacio quæst. 148. n.
30. Ad hunc porrò degradationis, ut vocant, effectum,
requiritur notoreitas (sic enim appellant) juris, aut
facti; ut patet. Quis enim de gradu dejici potest, nisi
notus? Denique multi, iiq̄ue gravissimi auctores
tenent, in pœnam illam non incurri ante sententiam,
quam vulgò dicunt, declaratoriam: quia ista pœna
non est Censura, vel Irregularitas, sed mera pœna
privativa, seu depositio verbalis latæ sententiæ. Ita
Suar. de Cens. disp. 13. sect. 4. n. 22. Quaranta in ex-
plicatione hujus Bullæ limit. 1. Avila p. 3. disp. 5. dub.
3. Thesaurus de pœnis Ecclesiast. p. 2. v. Sodom. c. 1.
Nihil ergo Escobarius tam horrendum adduxit. Tu
verò bipedum nequissime, turpitudinem istam Sacer-
dotum cum summa voluptate ita versas, & accumu-
las, ut non levis in Sacerdotalem dignitatem infam-
ia refundatur: omnes sceditatis circumstantias, ut
vocant, omnia adjuncta ita colligis, ut tibi cordi
esse videantur: tuo pallio Christos Domini tegere
debueras, si quæ spurcicies inesset: quam tamen,
dum publicas, triumphare videris, & reverà exul-
tas in rebus pessimis. Fœniculum porrigo, ut scœdum
& spurcum os, quo tam foetidam eluviem aspersisti,
abstergere possis.

NOTA

N O T A I I I.

De occulta Compensatione.

HOc loco * Baunium sugillas, eò quod dixerit, famulum, cui alia via non patet, modò scandalì periculum absit, justâ & occultâ compensatione uti posse. Auctor, qui vestras imposturas collegit, à te citatus *impost.* 12. Baunium ab illa calumnia vindicat: vestram fidem desiderat, cum ipsam quæstionem pro responsione afferatis, quòd jam aliàs in cudenta Theologia Morali (quæ Burdigalæ, justo Parlamenti Decreto, carnificis manu lacerata est; ut literæ Montaltii, haud absimili Aquensis Parlamenti edicto, flammis addictæ) à vobis factum fuerat. Sententiam demùm Baunii communi Doctòrum calculo donatam, Navarri, Cordubæ, Petri de Navarra, S. Antonini &c. immò & Patrum suffragio, Tertulliani, Augustini &c. instructam esse demonstrat; adhibitis scilicet iis conditionibus, quas ipse Baunius cum aliis omnibus præscribit. Ad hunc auctorem vos remitto.

Israelitarum exemplum, Ægyptiorum bona surripientium, infirmare conaris, * ac dicis, Hebræos in ea jus habuisse, propter acceptas ab Ægyptiis injurias. Sed numquid injuriam famulo Herus non infert, quem justo salario iniquè privat, de quo scilicet convenerat, vel quòd justè debet, ut supponitur? Nisi enim Herus debeat, famulus nullum jus habet. Jam aliàs ad Censuras illas tuas Parisiensem & Lovaniensem à me responsum est: recoctam crambem sæpè ac sæpiùs apponis. Ne quid à me frustra repetatur, quæ jam in simili objectione à me dicta sunt, huc etiam

* Pag. 156.

trans-

124 *In Dissertationem Theolog. de Perpetuitate Canonum.*
transferri à te desidero. Veneror, osculor clarissimarum
Academiarum iudicia, eaque maximi facio; modò
sincera sint, sine factione ac tumultu edita: nemo
tamen ea esse putet, quæ numquam errori subjaceant.
Ab exemplis abstineo: Odiosa res est: per te mihi ta-
cere liceat, ne quid à me dicatur, quod displiceat.
Uno verbo dico: Parisiensem & Lovaniensem vene-
ror, sed Sanctæ & Apostolicæ Sedis iudicium ut à
me, atque ab omnibus verè Catholicis præferen-
dum censeo, ita eodem omninò standum esse, pro-
fiteor.

In septimam Epistolam.

NOTA UNICA.

De directione Intentionis.

Hic paulò liberaliùs nugas tuas nobis vendi-
tas: Doctorem agis sine doctrina, Theolo-
gum sine Deo, Moralem Philosophum sine
bonis moribus: Jesuitas incitiæ ignorantissimus ipse
accusas, nequissimus malitiæ, erroris hæreticus,
fraudis & doli egregius sycophanta. Sed te remitto ad
Apologistam, *impost.* 24. qui tuum illum scurram,
egregiè ac pro meritis excepit. Quod hîc de tuo sub-
jicis, vel potiùs de Parochorum, aut certè, ut veriùs
dicam, Regio-portuensium scriptis, satis futile ac
frivolum est. Primà Moralis Theologiæ rudimenta
perinde atque abstrusa mysteria, & divina Patrum
oracula fundis. * vis primò intentionem generatim
nihil esse aliud, quàm finem cuique in singulis propo-
situm. O grandem & profundum Theologum! quasi
verò intentio finis ipse sit, non verò actus, seu mo-
tus

* *Pag. 173.*

tus Voluntatis, qui fertur immediatè in finem; ut Electio propter finem, in media. Subdis, actionem humanam ex duobus constare, scilicet ex opere vel officio, ut vocas, & intentione. Si bonum opus sit, sed prava intentio; vel malum opus, sed bona intentio; vel utrumque malum; actio bona & honesta esse non potest, nisi fortè cum bona intentione & officio malo inculcata ignorantia conjuncta sit: at cum aliquid per se indifferens est, ut mala intentione adulteratur, ita bona prorsus honestatur. Aliquis vim vi repellit: si propter odium & vindictam, mala intentio factum deturpat; si propter justitiam, id est, ut jus suum indemne servet, bona intentio defensionis actum honestat. Ornatum colit scæmina, ut marito placeat, ut parentibus pareat, ut sponso pulchrior appareat: quis neget, recta intentione ornatum illum eximi culpæ? Quis unquam Jesuita de hoc argumento aliter sensit? quis unquam dixit, turpe factum v.g. furtum, fornicationem, homicidium injustum, bona intentione, peccati maculâ immune reddi? nisi fortè ignorantia invincibilis intercesserit. Sic qui rem alienam surripit, quam suam esse per inculpatum errorem credit, furto illo materiali, ut vocant, non peccat.

Exempla, quæ suggeris, * vel sunt ridicula, vel à Jesuiticis minimè discrepant. Si enim plures præbendas, ut vocas, habere, suppositis talibus, vel talibus circumstantiis, est quid indifferens; modò recta intentio adsit, id est, quâ quis velit habere, propter bonum finem, plures præbendas sine peccato retinet. Si abesse à Diœcesi propter legitimam causam non est malum; modò Episcopus recta intentione feratur, licite abest. Quid, amabò, in his dissimile? objectum per se non malum, sed indifferens, cum recta intentio-

* Pag. 174.

ne conjunctum honestam actionem constituit. Recta autem illa est intentio, qua finis honestus proponitur, vel qua voluntas in finem honestum fertur: honestus verò finis est bonum; ultimus quidem summum bonum; alii verò fines alia bona, quæ naturæ rationali sunt conformia: v. g. si comedo propter conservationem vitæ; finis honestus est, naturali scilicet honestate: item si detestor peccatum propter metum gehennæ, ut Tridentinum declaravit *sess. 14. cap. 4.* Hinc cum Baio, Willelme, erras, qui nullum virtutis actum esse dicis, nisi quem Divina charitas ac Dei amor perficiat. * Hinc naturales quoque virtutes admittimus: quarum actus ideo Augustinus improbare visus est, vel quod ad salutem inutiles essent, vel quòd, ut plurimum, ob turpem aliquem finem elicerentur. Quod demùm de illata contumelia subnectis, inflictâ scilicet alapâ, aut aliquâ re per vim extortâ; plenè refutatum est ab Annato, & Apologiftis. Supponitur enim gravis injuria, quam quis repellere jure queat, non vindictæ, vel odii studio, sed consulendi sui juris indemnitati (quod reverà honestum est,) idque moderatè, ut jura volunt. Velle autem id, quod honestum est, bonam intentionem omnes reputant. Sed jam vestræ illæ calumniæ diffusæ sunt. Nullus Jesuita duellum, simoniam, usuram, homicidium injustum, aut quid aliud simile approbat: sed opus de se alioquin indifferens, recta intentione honestari; aut etiam per se malum, si fortè ignorantia invincibilis adsit, noxæ eximi dicunt, juxta communem, quam in hoc præ cæteris sequuntur, Doctorum Catholicorum doctrinam. Si hæc in Jesuitis carpis; id sanè per insignem ignorantiam & palmarem malitiam facis. Hanc nemo Catholicus non damnet; illam nemo literatus sibilis non explo-

* Pag. 175.

dat;

dat; utramque nemo, qui prudens sit, probro tibi ac vitio non vertat. Scio tamen quid tibi velis. Hæc, quæ nobis apponis, fercula, Bajanam & Jansenianam culinam olent. Eo dumtaxat fine hæc adduxisti, ut doceres, nullam intentionem rectam, quamvis alioqui cum ignorantia, vel incogitantia invincibili conjunctam à peccato liberare; & nulla intentionis rectitudine honestari actum, qui à divina charitate Dei que amore non procedat. Utrumque emenda; quia erroneum.

In octavam Epistolam.

De pecunia à Judice, ob injustam sententiam accepta.

N O T A I.

Montaltium nihil peccasse, dicis, * in referenda, super hac re, Lessii sententia. Sed Apologista *impost.* 5. contrarium evicit; Annatus item: pro more, accuratissime demonstravit, quantum etiam tu ipse peccaris, in adducendo Doctoris Angelici loco, à me luculenter ostensum est supra *in nota 4. præambula ad Epistolam 5. & sequentes.* Sed in delicto contumax peccare pergis: rem breviter expono. Lessius *lib. 2. cap. 14. num. 52.* dicit, naturæ jure dumtaxat spectato, acceptum ob turpem causam, opere impleto, non esse necessarium restituendum, sive illud opus sit contra justitiam, sive non: pro quo citat S. Thomam, Cajetannum, Covarruviam: quanquam hi duo excipiunt acceptum à Judice pro injusta sententia: sed rationem, quam ipsi adducunt, refellit Lessius; item explicat locum S. Augustini à

* *Pag. 190.*

Soto in hanc rem allatum. Tum *num. 56.* idem sentit, attento jure positivo: pro quo, citat D. Antoninum, Angelum, Sylvestrum, Navarrum, & aliquot jura. *Num. 60.* fatetur, contrariam sententiam esse probabilem, cum scilicet crimen per leges punire licet; utpotè communem omnium ferè jurisperitorum, teste Covarruviâ, item Medinâ, Navarro; licet hic postea mutarit. *Num. 61.* dato quod restituendum sit, juxta communem sententiam, asserit restituendum esse pauperibus. Quod reverà de jure naturæ esse nequit, & est potius salutare consilium, quàm præceptum; ut rectè docent S. Antoninus, Navarrus, & alii. Quare à Confessario in pœnitentiam meritò posset injungi. Sotus & Covarruvias putant, restituendum esse illi, qui dedit; sed hoc est contra mentem legum. Ex his demùm concludit auctor, nulli esse restituendum ante sententiam. *Num. 63.* dicit, id, quod datur pro justitia obtinenda, vel injuria vitanda, non censi spon te datum, sed quasi coactè, & ex metu injuriæ. Ex quo *num. 64.* concludit, Judicem teneri restituere id, quod accepit, ad ferendam justam sententiam.

Quid porrò, in tota ista doctrina, tam acri censura configendum sit, non video, pro qua innumeri ferè auctores citari possunt: quos vide sis, apud Cardinalem de Lugo *de just. & jure disp. 18. sect. 3. num. 45.* quibus ipse subscribit, propter communem illam rationem, quòd scilicet actus, qua parte est utilis & delectabilis, dignus sit pretio: item *num. 54.* in quo extendit prædictam doctrinam ad omne opus malum item *disp. 37. sect. 11. num. 127. 130. 134.*

Sed ad te redeo Wendrocki: dicis *, perperam causari Apologiam, multa omisa esse à Montaltio, in referenda Lessii sententia. Quis hoc neget? ad per-

* Pag. 119.

nam libri, ut vulgò ajunt; sed vereor, ne referatis etiam tabulis, adhuc Montaltium excufes. tam perfrictæ frontis esse vos constat, ut verum atque fallum dicere perinde vobis fit. Sic ab aliquot annis, obstinatè negatis, quinque propositiones damnatas esse Jansenii: centies aperti mendacii convicti fuistis, vel ipso sedis Apostolicæ oraculo. Unum vel alterum indico, in hac Lessii sententia referenda, à Montaltio, per insignem malitiam, ultrò prætermissum. Illam enim retulit, perinde atque si Lessius docuisset, Judicem nihil peccasse, pactum illud ineundo, vel eo sine pecuniam accipiendo, etiam ante opus impletum; vel eundem Judicem non teneri ad damnum parti læsæ illatum resarciendum; vel justam causam non esse, propter quam non modò damnari possit, ad pecuniam illam refundendam mulctæ loco, verùm etiam ad majores pœnas; aut demùm à Confessario eidem Judici non posse injungi, ut tantundem pecuniæ in Eleemosynas impendat. Nec est, quod de hoc ultimo Lessii dicto nugeris. Cum enim probabilius Lessio, aliisque ferè innumeris auctoribus esse videretur, non teneri Judicem illum ad restitutionem; ut probabilitati oppositæ partis occurreret, haud dubiè prudenter monuit, ad cautelam hoc injungi posse à Confessario in pœnam: nempe illa, ut plurimum saltem, in pœnam injunguntur, ad quæ alioquin præstanda pœnitens non teneretur. Quod verò pertinet ad doctrinam Jesuitarum, circa illud à pœnitente acceptandum, & executioni mandandum, quod pœnitentiæ loco imponitur, si res postularet, facile ostenderem, eam suo rigore non carere: erit fortè infrà dicendi locus.

Mox in Apologistam invecus, *imbecille* (: imbecilliter dicere voluisti:) & *pueriliter* argumentari dicis.

I

Sed

Sed argumentum tantisper ponderemus. Judex acceptum pro injusta sententia pretium ei restituere non tenetur, à quo accepit, opere scilicet completo; igitur jure naturæ nulli restituere tenetur. Hoc est argumentum Apologistæ; immò Lessii & aliorum, qui hanc sententiam tenent. Antecedens dant ferè omnes, tu ipse das ultrò: consequentia certa videtur. Cui enim? pauperibus, inquis, & hoc vulgò à Theologis statuitur. Appella, cita illos Theologos, qui dicant, jure naturæ pecuniam illam debitam pauperibus esse. Ignarum caput! non nego, nonnullos esse auctores, qui sentiant, pauperibus erogandam esse; non quidem jure naturali, sed positivo. Quamquam opposita sententia, quam impugnas, communis sit; neque tuam illam vulgò adstruant Theologi: at nemo quod sciam, unquam dixit, jure naturali pauperibus restituendam esse. igitur mi homo, valet illa consequentia. Igitur ad prædictam restitutionem nefarius ille judex jure naturæ non tenetur. Nec etiam jure positivo; alioquin jura producenda essent; nullum autem adducitur, quod à Lessio, De Lugo, aliisque clarissimè non explicetur. Igitur non tam imbelles telum fuit. Ictum fortè non sensisti: ingenuè fateberis. ego quoque ingenuè stuporem miror. Ab re igitur Apologistam increpas, quòd prima juris elementa Montaltio incognita esse dixerit, & Iesuitarum fidem accusas, quòd suam, scilicet Catholicam, Jansenianæ fidei, quam bellè Annatus descripsit, huc usque opposuerint. At Lessius inquit, num. 60. & 52. omnes ferè juris Doctores censere, acceptum pro crimine, quod legibus punitur, esse restituendum. Malè citasti num. 52. pro num. 51. in quo Lessii sententiam non habes, sed aliorum. Num. 60. adducit testimonium Covarruviæ, ex cuius & Navarri mente

communis illa Jurisperitorum sententia explicatur num. 57. quod scilicet, leges non faciant iudicem inhabilem ad acquirendum accepti dominium, sed id unum dumtaxat decernant, ut pacta illa invalida sint ante opus patratum; nec ex illis oriatur obligatio civilis, ob quam possit in iudicio promissum exigi; immò justa causa, ob quam iudex per sententiam illo pretio privetur, & majoribus pœnis mulctetur. At furdo cano, & ad lyram asinum voco.

Dimisso Apologistâ, Lessium aggredieris, & statim D. Thomæ locum adulteras*: sed quia jam supra hujus criminis pœnas dedisti; ne bis in idipsum, ultrò remitto; modò apud omnes constet, D. Thomam Lessio apertè favere. Tum D. Antonini locum contra Lessium adducis: at loquitur de acquisitis per Simoniam, ut expressè habet: estque quod candorem tuum saltem hac vice laudem, illud enim *in Simonia* reticere poteras. Quis autem nescit, rem spirituales & sacras pretio emi non posse? ac proinde contractum illum jure naturæ & divino esse irritum? immò per sacra jura, Simoniacum ad restitutionem teneri? At in dissimili versamur arena. Judicium illud, quamvis iniquum, habet aliquid, quod alteri utile cedit; igitur pretio æstinabile; cum utrumque profanum sit; ac proinde ejusdem generis. Nec est, quod dicas, ab eodem S. Antonino subnecti deinde exempla injustæ sententiæ & adulterii; cum tamen expressè dicat, illi præcipuè pecuniam dandam esse, qui ex sententia injusta damnum passus est; quod nemo negat; & cum illa pecunia non sufficiat ad damnum resarciendum, reliquum iniquus iudex de suo supplere debet. De adulterio verò idem dicendum esse iudicat, quod de turpi & meretricio lucro, quod potest retineri; nec quidquam leges statuere de pe-

* Pag. 192.

cunia data pro adulterio; unde potius inducendi sunt consilio, ad hoc, ut erogent eam pauperibus, quam obligandi, seu cogendi imperio, quod etiam habet tit. I. cap. 23. item in tract. de restitut. cap. I. §. *manus turpiter lucratoria*. adde Cardinalem Toletum in Summ. lib. 5. c. 21. qui eandem doctrinam expressè tradit.

Falsum est, inquis, & turpe fundamentum Lessii, quod scilicet opus malum, quò malum est, non sit quidem pretio æstimabile, sed quò delectabile, utile, laboriosum, &c. & hîc concionatorem & declamatorum agis: rem indignam Christiano & Theologo dicis, æquare pretio turpissimas voluptates, laborem improbum, iniquum litis lucrum. Hîc Aristotelem cum Ethnicis Legibus, Comitolum cum Augustino appellas. O bone, artes tuas novimus: Christiano erga pauperes zelo flagrare videris; sed est, quod de te tuisque Regio-portuensibus illud ipsum dicam, quod S. Evangelista de Juda Iscariote scriptum reliquit, *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat*. unde tantam vim pecuniæ Regio-portuenses corraferint; in quos usus; Deus scit. Non est, quòd dicam, cum jam apud omnes constet. Sed hæc mitto: errores adnoto, non accuso flagitia. Cur verò indignum Christiano putas? quia, inquis, voluptas cum crimine conjuncta improba est, nec unum mente ab alio præscindi potest, ut patet in Simonia. Hominem fanè eruditum! quid tandem infers? non licet igitur pactum illud inire. Quis unquam licitum esse censuit? & hoc leges damnant. Hinc meretrix eo fine pacisci non debet, nec eo animo pecuniam accipere. At opere completo, quod acceptam restituere debeat, nulla lex jubet, nullum jus, sive positivum, sive naturale præscri-

præscribit, gravissimi auctores negant; quamvis Comitulus cum paucis secus sentiat. Hinc Lessius ultrò fatetur, opinionem suæ oppositam probabilem esse. Præterea probandum tibi fuerat, illius pecuniæ retentionem injustam esse, & cum aliqua improbitate conjunctam. Quod si reverà fecisses, in tuam sententiam facile descenderem.

Retrudis illam rationem, * quam Montaltius Jesuitis affinerat: quod scilicet, justa sententia vendi non possit, quia debita est; secus verò injusta. Jam Annatus fidem vestram hac in re laudarat. Quod sententia justa vendi non possit à Judice, modò alioquin justo salario pro labore hujus ministerii remuneretur, perspicuum est; nec nisi coactè iniquum illud pretium solvi censetur, & jura id expressè vetant. Injustam quoque sententiam, quamvis non debitam, vendere nequit. Hinc acceptam pecuniam, antequàm lata sit, restituere tenetur, & injustam sententiam non ferre: at ubi lata est, & gravissimo illo crimine sese obstrinxit; cum restitui non debeat accepta pecunia ei, qui dedit (nempe illam ultrò, non coactè dedit), si retineatur, injuria illi non fit; nec videtur, cui jure naturæ restituenda sit: salvo tamen jure partis læsæ, quod judex iniquus refarcire debet.

Hæc si fortè intellexisses Wendrocki, *absurda ineptia*, quæ tibi jure competit, & *tarditatis* Lessium non insimulasses; quasi verò Lessius dixerit, licitè posse vendi sententiam injustam, vel rem alienam: quasi verò Virgo sui corporis usum licitè vendere possit. Hoc tamen non facit, quin stuprator Virginem in Vxorem ducere, vel dotem eidem solvere teneatur. Igitur juri naturæ non repugnat, quod pro aliqua turpi actione pecunia accipiatur, v. g. pro adulterio, homicidio, injustâ sententiâ: quam opere impleto is, qui accepit,

* Pag. 93.

retinere possit, cum eadem pro iis omnibus ratio militet.

Locus Augustini, quem adducis, ad rem non facit. Loquitur enim, idque expressè, de re ablata, quam reverà restituendam esse, nemo negat. Alter locus probat, sceleratius esse injustum iudicium, quam justum; & falsum testimonium vendere, quam verum. Quis hoc negat? quid indè concludis? igitur, inquis, tam pecunia pro injusto accepta restitui debet, quam pro justo. Sed malis artibus agis: dicere debueras, igitur cum pecunia pro justa sententia accepta restituenda sit ei, qui dedit, ita & accepta pro injusta, ei, qui dedit, restituenda est. Sed quis hoc dicat? * quod habes denique de advocato, cujus iniqua opera, injusta sententia lata est; non est dubium, quin damnum illud, quod procuravit adversæ parti resarcire debeat, nisi clientem suum ad illud resarciendum inducat, quod certè meliùs fieri non posse Augustinus putavit, quam si *suscepto suo diceret, recipe, quod mihi, cum tibi male adessem, dedisti, & redde adversario tuo, quod me agente, inique abstulisti.* Mens Augustini alia esse non potuit: alioquin nunquam dixisset, ei pecuniam esse restituendam, à quo pro injustâ sententiâ, vel clientelâ, data priùs fuerat. In Catechismo Romano, iniqui Judices, qui venalia habent iudicia, furibus accensentur: rectè: hinc perinde se habent, atque si boni illius, quem iniquè damnarunt, furati essent; ac proinde nemo illos ab onere restituendi liberat, scilicet parti læsæ, & damnum illatum resarciendi. Quid ergo pervicaciam Lessio aliisque Theologis, & solitum morem SS. Patrum sententias adulterandi exprobras? nihil evidentius, inquis. At, si evidens est, cur D. Thomas, D. Antoninus, Sylvester, Angelus, Corduba, Toletus, De Lugo, Navarrus, Vasquez, Tannerus,

* Pag. 194.

rūs, Lessius, Turrianus, Sanchez, Bonacina, Petrus à Navarra; cur hi aliiq̄ue innumeri non vident? hi fortè obtuso & hebetè ingenio latentes sensus inspicere nequeunt? Ignarum caput! tu cum his Aquilis vespertilio. Ita prorsus Augustini sententias Jansenius & Calvinus explicant, ut in iis suos errores clarissimè contineri, prædicare non vereantur. Sic hæretici nihil nisi Sacra Biblia, Sanctos Patres, antiquam Ecclesiam, Ecclesiasticorum hujus temporis corruptos mores, Ecclesiasticæ disciplinæ lapsum, Theologiæ Moralis corruptelam, Scholasticorum tricas, & Cavillationes, uno verbo, nihil nisi rigorem & reformationem crepant.

Sed ad ratiunculam Lessii, ab Augustino, inquis, explosam, veniamus: quisquis dat pecuniam Judici, ut ab eo justam sententiam emat, coactè dare censetur, sicut is, qui pendit usuram usurario; quid mirum ergo, si jure deinde repetat, scilicet in judicio? is verò, qui emit injustam, ultrò pecuniam dare censetur, cujus dumtaxat operâ, nullo jure fretus, causæ lucrum habere sperat; igitur repetere deinde non potest; scilicet in judicio, in quo Judex quidem iniquus plecteretur, non tamen propterea iniquus emptor datam pecuniam reciperet; immò re sibi per injustam sententiam adjudicata privaretur; igitur & timeret & puderet emisse, scilicet in judicio; puderet, quia crimen est; timeret, ne jure ob crimen admissum mulcetur; igitur illud, *vellet repetere, nisi timeret & puderet*, non significat, quod velit, ut ais; nec enim distinguis voluntatem à velleitate, ut vocant, quod supinam ignorantiam demonstrat. Nec inde rectè deducitur, iniquum Judicem teneri restituere acceptum injustæ sententiæ pretium, opere scilicet completo; nisi per sententiam superioris Judicis ad id adstringatur. Im-

mò si ex prædictis S. Augustini verbis sequeretur, iniquum Judicem teneri restituere prædictum pretium, haud dubiè teneretur restituere ei, à quo accepit, qui vellet repetere, nisi timeret, & puderet emisse: quod tamen nemo tibi concedat. Quod dicis, iniquum emptorem coactum emisse injustam sententiam; non responsionem, sed irrisionem sibilis conditam postulat. Quod fanè nisi evidens sit, nihil prorsus evidens reputo. Gratis, inquis, consequi maluisset. Sed id fieri non poterat, cum nullo jure valeret. Haud dissimili ratione quisquis aliquid emit, coactus emere censeretur, quia mallet id gratis, quam numeratâ pecuniâ obtinere. Apage igitur ineptas & pueriles nugas, cum monstrosâ incitiâ & diabolicâ malignitate conjunctas.

Multa in Apologiam §. 3. similiter effutis, quæ nulla refutatione indigent, sed factâ utriusque descriptionis copiâ, *Janseniana* Montaltii fides faciliè constabit. * Illud autem maximè ad rem faciebat: nempe Molina seclusâ lege positivâ, & spectato dumtaxat naturæ jure, expressè loquitur de muneribus judici datis post latam justam sententiam, ex mera gratitudine, vel rei obtentæ gaudio, vel etiam ante sententiam, eo dumtaxat fine, ut rem diligentius, citius & majori cum affectu expediat, scilicet intrâ justitiæ fines, seclusa lege positiva, secluso item Sacramento, quo judex sese obstrinxit, secluso demum scandalo. Molina cum innumeris aliis sentit, prædictas donationes licitas esse: docet tamen tom. 1. tract. 2. disp. 88. Judices peccare, cum accipiunt munera, tum quia contrâ legem positivam, & proprium Sacramentum faciunt, tum quia nunquam ferè sine scandalo id fieri potest.

Montaltii fidem non liberat in Filiutio, qui expres-

* Pag. 195

sè asserit, Judicem peccare, si munera accipiat, etiam ex liberalitate donata; quia lege positiva jure prohibetur, estque potestas in Principe obligandi ad restitutionem, etiam in foro conscientiae; igitur ante sententiam. tract. 31. num. 211. Quòd deindè asserat Filiutius, spectato jure naturæ, & seclusa lege positiva, donationes illas licitas esse, quid tum? an propterea negat, esse peccatum? Idem dico de Reginaldo, qui expressè lib. 10. n. 185. excludit legem positivam, qua delinquens fiat inhabilis & restituere teneatur, quæ accepit, ob crimen aliquod patratum. Equidem Lessius negat, ullam esse legem positivam, qua id cautum sit: non tamen Reginaldus hoc dicit. Cur ergo illum cum Lessio confundis? est ergo, quòd Montaltii fidem Apologista desideret, qui Reginaldum cum Lessio citavit, licèt hic neget, ullam esse legem, quòd tamen ille non negat, sed præcisè in jure naturali sistit. Nullas autem hinc quisquillas præter tuas, nullam vitiligationis insulsiatatem, præter Jansenianas cavillationes, videre licet.

Optimè denique opposuit Montaltio Apologista, quòd sine ullo juris naturalis & positivi discrimine loquutus fuisset; * quia reverà Molina & Reginaldus jus dumtaxat naturæ spectant: quanquam Molina cum aliis ferè innumeris dicat, non teneri ad restitutionem accepti pretii pro injusta sententia, ante sententiam contra eum latam: nec deest optima ratio, nam alioquin idem bis restituere teneretur. Non negat tamen, Principis potestatem eam esse, qua Judex ad dominium illud acquirendum, inhabilis fieri possit: voluntas autem Principis ex verbis Legis colligitur. Nec adeò nefandum dictum est, juramentum de non accipiendo, distingui à juramento de non retinendo, vel de restituendo. Licet enim aliquis juret

* Pag. 196.

se non accepturum aliquid; si deinde perjurus accipiat, hoc non facit, quin dominium acquirat; si autem acquirit dominium, non tenetur restituere. Ex quo satis apparet, quàm doctus sis, qui hæc ignoras, licet alioquin putidum thraſonem agas, reliquos omnes præ tuis Regio-Portuensibus nihili facias, præsertim Molinam, aliosque Jesuitas, tametsi de hac quæstione doctè ac eruditè multa scripserint, præsertim Molina, qui 14. disputationes de hac materia tam copiosè, tam distinctè, tam solidè compositas & elaboratas edidit, ut nihil, quod ad illud argumentum pertineat, in iis desiderari videatur; insignis haud dubiè Scriptor, de utrâque Theologiâ, Morali, scilicet, & Scholasticâ benemeritus, quem reverà immeritò, ac immerentem Janseniani fœdè lacerare, ac infamare, ejusdem loca, ut tu ipse Wilhelme hoc loco, adulterare, immutare, invertere, asfuere, eidemque Massiliensium errores affingere non cessant. Sed frustra Lunam canes oblatratis, & Solem vespertiliones convitio proſcinditis. Ad Molinam certè vos amandarem, nisi ad molam aptiores essetis.

N O T A II.

De quæstu honestarum fœminarum.

Hic etiam pro more nugaris, & quidquid in buccam venit, petulanter effutis; convitia, probra, calumnias liberiùs spargis. Statim initiò infamem pudicitia Virginum & Matronarum nundinationem à Casuistis permitti asseris. * Non te pudet, impostor nequam, tam apertæ calumniae? quis unquam Theologus, aut Casuista Catholicus hoc permi-

* Pag. 196.

fit?

lit ? quasi verò turpem actionem, & turpe pactum omnes omninò non damnent, licèt pecuniam opere completo, à Virgine, vel Matronâ acceptam retineri posse plerique omnes asserant. D. Thomam & S. Antoninum excipere non debueras: tuam in hoc fidem jam supra convictam, ad Lydium ultrà non voco. Expectabam, ut ea Patrum loca & Consultorum Decreta, quibus Jesuitarum sententia configitur, & nefaria, lutulenta, flagitiosa declaratur, adduceres. Quid sibi Leges velint, auctores luculenter explicant, & Patrum loca fideliter interpretantur. Dic porrò, sodes: Titius Virgini promisit tantam vim pecuniæ in dotem: inito turpi pacto, & acceptato utrimque, stuprum committitur: nemo negat, pactum illud sceleratum esse, promissionem inhonestam, acceptionem flagitiosam, actionem ipsam turpissimam: sed an Titium à solvendâ illâ pecuniâ in foro conscientia liberares? aut reverà si jam puellæ tradita fuit, hanc ad eam restituendam in eodem foro adstringeres? Meretricem dignam furca, publicum scortum & offendiculum, accepto pretio impunè gaudere permittis, ad nova flagitia: Virginem verò semel lapsam ex fragilitate, spe dotis qua carebat, ad restitutionem obligas? Sed, inquis, Respublica tolerat meretrices. Esto: illa tolerantia non facit, quin illarum actio turpis sit. Respubl. censetur iis donare ad servandam vitam. * O insignem Reip. Dictatorem? quo jure? quo Senatus consulto? quo Decreto? quasi verò Resp. illarum sustentationi consu- lere debeat, quæ vitam infamem ducunt, & Remp. suis flagitiis contaminant. Opus illud, inquis, Leges concedunt. Quid monstri? nulla lex peccatum concedit: tolerant quidem, id est, non plectunt; quod sanè culpam non tollit.

* Pag. 197.

Scio,

Scio aliquos, paucos tamen, oppositam sententiam docuisse; nec illam damno: sit illa probabilis; per me licet. Scio aliquos, etiam paucos, meretricibus, non verò sceminis honestis quæstum concessisse: esto, ita sentiant. At quod dicis, Jesuitas duntaxat sententiam illam tertiam, quam impugnas, docere, hoc ipsum nescio; immò contrarium constat. An D. Thomas, S. Antoninus, Cajetanus, Sylvester, Angelus, Navarrus, Covarruvias, Corduba, aliique ferè innumeri, quos habes apud De Lugo, & Dianam, Jesuitæ fuerunt? ego sanè hoc loco illos citarem & paginas citationibus implerem; sed frustra: nempe mille Casuistas nihili facis, & fortè à me, ut olim, quæreres, utrùm illi omnes Christiani sint. Non te pudet, nebulo, Jesuitis, ac præsertim Lessio, fœdissimam, ut vocas, doctrinam, & obscœnas voces affingere, viro integerrimæ fidei, religiosissimæ vitæ, singularis doctrinæ, candoris eximii? quem verè debueras, si quid, non dicam Christianæ modestiæ, & Catholicæ religionis, sed Gallicæ urbanitatis & humanitatis haberes. Quamobrem verò hæc? quia communem & longè probabiliorem D. Thomæ, Cajetani, Sylvestri, Navarri, Toleti, S. Antonini sententiam sequitur. Tu verò novas leges prostibulis & lupanaribus indicis: qua auctoritate? qua fronte? haud dubiè meretricis. Fæces ultrò versas, mi homo, quia tibi placent; quod jam Montaltio exprobratum fuit.

Quod demum pertinet ad figmenta illa, seu ludibria rationum, quas sæpè obtrudis; qua facilitate adducuntur, eadem refelluntur. Negas, illud pretium esse, quod meretrices pro corporis usu recipiunt; sed multam esse vis. hoc probandum erat, Willelme: hoc falsò & in casum à te dictum, ab omnibus haud immeritò exploditur. Dicis, hoc à Rep. dari, non ab eo, qui
 1072
 107

flagitium

flagitium committit. Sed hoc dictu ridiculum est, & meretricio advocato dignum. Non licet, inquis, adulterinis nummis quidquam emere; igitur nec sceleribus. * Rectè: quis hoc pactum licere dicat? Quod subnectis, aliquid de se, ac jure divino illicitum, legibus humanis licitum reddi; Janseniano Doctore dignum effatum est. In tam absurda & acatholica, supina ignorantia, cum ferina malignitate conjuncta, vos præcipientes agit. In dubiis aliquid probabiliter pronunciare, temerarium vocas: tu aliquid ultra; qui falsa & erronea pro indubitatis & fidei articulis venditas. Poteras, Wendrocki, illam Medinæ sententiam amplecti, idque citrà oppositæ censuram, ut ille: nemo tibi licentem intenderet; quamvis alioquin illa minùs probabilis sit. Sed quod Censoris partes tibi vendices, novas leges obtrudas, sapientum responsa eludas, sententiam probabilissimam, ut erroneam & obscenam traducas, condonare tibi non possum; cum in hoc sycophantæ potiùs, quàm Theologi personam sustineas; & Molinæ potiùs satyræ, quàm D. Thomæ sententiæ subscribas. * Pag. 198.

N O T A I I I.

De Contractu Mohatra.

OMnes ferè Jesuitæ hunc Contractum damnant: aliqui, ut Molina tom. 2. disp. 310. requirunt, * ut merces non vendantur ex intentione redimendi: alii, ut Less. lib. 2. cap. 21. dub. 16. dicunt, hunc Contractum nunquam carere culpa, tum contrà charitatem, tum ratione scandali: alii, ut Apologista Casuistarum, illum in praxi damnant: omnes demum apponunt varias conditiones, scilicet ut bona

* Pag. 199.

bona fide fiat, sine pacto prævio, sine scandalo, & justum pretium semper intercedat. Bonacina tract. de contract. disp. 3. quæst. 2. part. 3. num 20. pro hac sententia multos citat, ut Navarrum, Petrum de Navarra, Rebell. Salon. Sylvestr. Armillam. Sed hi sunt, inquis, auctores Ecclesiæ ignoti, scilicet Regio-portuensi, quæ auctores Catholicos non curat, exemplo sui Jansenii, qui omnia sua à Sectariis auctoribus accepit; nempe hujus plagii ab elegantissimo & nitidissimo scriptore Stephano Deschamps, aliàs Ricardo, allatis collatisque testimoniis convictus est. Vis alios? en tibi, Mercatum 1. de contract. c. 26. Ludovic. Lopez de contract. lib. 1. cap. 34. Salas de contract. de vendit. dub. 37. num. 2. & de Usur. dub. 16. qui citat pro hac sententia, Angelum, Garziam, Gutierrez, Palacium, Azebedium, Graffium. Lopez citat Pennam, Rosellam. Adde Cajetan. in sum. V. emptio, Marcum Serra 2. 2. quæst. 77. art. 1. dub. 3. Dian. 1. part. tract. 8. resol. 53. adde Bannez 2. 2. quæst. 78. art. 2. §. ad 2. Corrad. in resp. cas. parte 1. quæst. 157. qui omnes, seclusa lege positiva, intelligi debent.

Tu verò quid ad hæc, miselle? Deus videt, inquis, totam hanc emptionem esse merum ludibrium, & fœnoris integumentum; nempe hanc artem adolescens adhibet, ut hoc pacto pecuniam eliciat: non agitur, mi homo de Adolescentis peccato, sed Mercatoris. Adit enim Mercatorem nihil tale cogitantem, & ab eo, summo pretio, sed justo, non præfenti quidem pecunia, sed data fide, illius solvendæ intra annum, merces emit. Quis neget, Mercatorem, qui bona fide agit, suas merces prædicto modo vendere posse? tum paulò post redit adolescens, eidemque Mercatori offert easdem merces numerata pecunia

pecunia redimendas, infimo pretio, sed justo, alteri alioquin, si fortè ipse redimere nolit, venditurus. Num est valde probabile, seclusa lege positiva, ut vocant, Mercatorem licitè redimere posse? seclusa inquam lege positiva; nam ne hujus contractus obtentu, usuræ labes irrepat, Principes & Magistratus hujusmodi pacta prohibent. Neque hîc tuas declamationes desidero, sed rationes. Quis enim negat, malam artem Adolescentis cum bona fide Mercatoris esse conjunctam? nec Adolescens usuræ vitium timet. Quod autem dicis, Mercatorem, qui bona fide merces vendidit, si deinde redimat, scœnoris crimen *haud dubiè* contrahere; *haud dubiè*, inquis; sed erunt, qui dubitent, & parùm curent, quid dicas, nisi dicta demonstras. Quid credas, aut teneas, nihil refert; sed quomodò probes.

Nugaris deinde tuo more, & saltas extra chorum; nam nec agitur de pretio injusto, nec Adolescens scœnori accipit. Nempe eo modo accipit, quo dat Mercator, quide scœnore non cogitat. * Nec scelestum est, hæc duo simul agere, vendere scilicet easdem merces summo pretio, & infimo redimere; scilicet utroque justo. Immò ne quidem Adolescens peccat, si bona fide illas pecunias eliciat. Cuncta ista certa supponis: quæ si probabilia dixisses, utique tolerandus esses. Sic certam Augustini mentem in quinque propositionibus agnoscitis, quas tamen Ecclesia ut hæreticas damnavit. Vis dicam, quod sentio? nihil certum habetis præter contumaciam in damnatis erroribus, & constantem adversus Romanum Pontificem conspiracyonem. Quod Nicolao Fabro affingis, mera calumnia est: sine teste nihil volo tale. Fieri quidem potuit, ut aliquorum decisiones morales minus probaret; quis enim neget, in quodlibet

* Pag. 200.

disci-

disciplinæ genus, fraudis errorisque vitium aliquando irrepere? at, quod Theologiam Moralem, artem cavillandi cum Deo, generatim esse dixerit, adduci non possum ut credam. Sed demus, dixisse, quod tamen non damus: in hoc non laudo. Deus videt, inquis, merum ludibrium esse, fraudis involucrum, fallaciam, dolum, & apertissimam divinæ Majestatis irrisionem. Deus reverà videt id, quod est: si ergo, ut supponitur, bona Mercatoris fides intercedat, illam haud dnbiè Deus videt. Retorqueo argumentum Wendrocki: est Deus, qui à vobis rationem exiget obstinatæ pervicaciæ in propugnandis erroribus, in adornandis calumniis, in spargendis libellis famosis; dissipabit vestra consilia, disjiciet machinas, confundet artes, fraudes & dolos aperiet, factionem destruet, & juratam contra religiosum Ordinem, & Ecclesiam Romanam, conspiracyonem evertet.

N O T A I V.

De Usura.

Hic Apologistam Casuistarum acerrimè perstringis, quasi ipse usuram, & pecuniæ collationem cum tœnore, ejusque repetendæ potestate, licitam esse doceat; ita ut vix scias, ubinam usura possit consistere. Idem Principum & Conciliorum leges, inquis, contrà usuram latas ludificatur, docetque adversùs Judæos constitutas fuisse, & Legis fine cessante cessare legis obligationem. Hic autem Magistratus & Episcopos appellas, ut Jesuitarum audaciam coercerent. Quot verba, tot mendacia. Omnem usuram hic auctor improbat. Et spectato dumtaxat jure divino, nec non seclusa Lege positiva, ut expressè mo-

net)

net, duos modos percipiendi justum lucrum proponit: pactum scilicet Trium Contractuum, ut vocant, & censum utrimque redimilem ad certum tempus. Primum modum plusquam centum auctores, licitum esse dicunt; alterum supra sexaginta. Non desunt rationes potentissimæ quæ utrumque suadeant. An propterea usuram & injustum fœnus approbat? Nec deest propterea multiplex usuræ locus & modus: si res postularet, triginta saltem percipiendi lucrum ex pecunia facile adducerem, quos ab usuræ labe nullus Jesuita liberat. Quod dicis, de Conciliorum & Principum Legibus inane est: vel unam proferre debueras. Nemo in hac accusatione tibi fidem habeat; nempe tibi ac tui similibus nulla fides pietasque. Non dixit absolutè Apologista vim legis cessare, cessante illius fine; sed quibusdam conditionibus appositis: atque hoc à multis gravissimis Theologis, & Canonistis doceri; citatque in hanc rem Soto, Carbo, Azor, Navarrum, Sayrum, Toletum, Suarez, Molina.

Falsum est etiam, dixisse Apologista, Conciliorum Leges in anormes Judæorum usuras constitutas fuisse: sed in Christianos, qui Judæorum exemplo, rei usurariæ vacabant, quiq̃ue varias artes excogitaverant, ut sub iis usuræ vitium lateret. Hic fidem tuam Willelme, ut in cæteris hominibus, Catholicam vellem: Jansenianam ubique invenio. Mox illum inscitæ & temeritatis arguis, quod asserere non sit veritus, ante Alexandrum III. simplices usuras nulla Legge, Ecclesiasticâ scilicet, vetitas fuisse; quod ut falsum esse ostendas, multa Concilia subjicis obiter, quorum Canones usuram vetant: * Verùm, inquis, istos Canones ignorasse, Apologista nihil nocuit; habet enim ad omnia exceptionem, nimirum non mutari Canonibus naturam rerum, Lepidè, acutè dixit.

* Pag. 201.

xisse tibi vidêris. Sed aperta calumnia est. Ubinam dixit, simplices usuras nulla lege fuisse vetitas? Hic sanè impostor es, si usquam aliàs. Dixerat enim Apologista, ante Alexandrum III. prohibitos non fuisse modos illos percipiendi lucrum, qui alioquin liciti poterant interdum usuris locum, vel occasionem præbere. Ii vero Canones, quos ex Antonii Augustini lib. 35. refers, simplices dumtaxat usuras vetant, ex eodem auctore tit. 6. Ad pœnam libri. Parisiense tantummodò aliquid innuit, de non accipiendis fructibus agrorum nisi computentur in partem sortis; sed eo Concilio nulla præcepta Ecclesiastica inducuntur, ut legenti constabit. Prætereà ibi dumtaxat damnatur acceptio fructuum injusta, contra jus naturæ, ob pecuniam pauperibus gravi necessitate pressis commodatam; præterquàm quòd fructus percepti, modicæ pecuniæ commodatæ valorem excedebant. Quis autem neget, in tali necessitate, pecuniam gratis commodandam esse? Abi ergo Willelme cum tua Canonum farragine, qui ad rem non faciunt, & quos ad meram ostentationem accumulās, ut simpliciores in fraudem inducās: quod huc usque vobis solemne fuit. Sacros Canones, SS. Patres, templum Domini, templum Domini, ubique passim crepatis, sive id res postulet, sive non postulet. Hypocritæ, Constitutiones Apostolicas, & Concilium Tridentinum impune rejicitis, & libris in lucem editis oppugnatis: Jesuitis verò, quamvis eo sint animo erga S. Sedem & Sacra Concilia, quem nonnulli politici immoderatum, & affectatum perperam judicant, Sacrorum Canonum contemptum, & ignorantiam exprobratis. Hic sanè tritum carmen locum habet, *Clodium accusat Mæchos, Catilina Cætegos*. Hæc porrò Apologistam, virum in jure Canonico versatissimum ignorasse,

rasse, nemo dicat, nisi maledicus; nemo credat, nisi ignarus.

In nonam Epistolam.

N O T A I.

De cultu Deiparæ.

Montaltius in hac Epistola, * ut legenti constabit, singulares aliquot, quæ ad Deiparæ cultum & honorem pertinent, quas P. Barrius singulari libro ediderat, pias & familiares exercitationes (vulgò praxes vocant:) impius irriferat & exploferat: utriq̃ue Apologistæ meritas hujus delicti pœnas dederat. Illum defendendum suscepisti Willelme, ut ejusdem criminis reus evaderes. Montaltius, inquis, pietatem adversùs B. Virginem magnum adipiscendæ salutis subsidium esse fatetur, modò ex fidei & charitatis radice nascatur, sed præter hanc, conversionem ad Deum desiderat. Hæc insignis Montaltii, ac tua, qui eam approbas, fraus esse videtur, quod hæc ambigua subnectat, postquam pia illa officia impiè & scurriliter exhibilavit. Quis unquam contrarium docuit? quis nescit, neminem noxæ lethalis reum cœlestem gloriam consequi posse. Sed Barrius, Binetus, aliiq̃ue Scriptores docent, piis illis officiis Deiparam moveri, ut sibi addictis ea gratiæ subsidia obtineat, quæ ad mutationem vitæ, & pœnitentiam peccatorum brevius & facilius conducunt. Dixi esse ambigua, quæ Montaltius subnectit, quòd scilicet ea tantùm officia adversùs Deiparam approbet, quæ à charitatis radice nascuntur. Igitur peccator, qui cha-

* Pag. 217.

ritatem non habet, frustra Mariam implorat, frustra salutatur, frustra illius cultui sese addicit. Nec est, quod falsam illam securitatem exaggeres: quam reverà Jesuitæ non docent, sed cultum erga Deiparam promoveri conantur, quò fiat, ut peccatores illius subsidio freti, convertantur; & justi ad finem usque perseverent. Tu verò Mariæ præsidium salutare innocentibus, & pœnitentibus opportunum agnoscis; de peccatoribus altum files: quasi verò *Refugium peccatorum* jure ipsa non dicatur. Vis deindè * cultum illum certis quibusdam virtutibus annexum esse; quasi verò cum Fide saltem & Spe conjunctus non sit. Doles præterèà majorem, quàm par sit, Mariæ reverentiam exhiberi à non paucis Scriptoribus. Quis, amabò, latriam unquam detulit? Infra latriam omnis alius, quantumvis insignis, cultus congruit. Nec in hoc citare quempiam debueras: qui reverà si secùs sentiat, illius auctoritatem flocci facio. Expectabam, ut diceres, quinam sint falsi honores, quibus Deipara non delectatur: scio quid tibi velis, Jansenii de grege, Magistri opinioni subscribis; utinam erroribus non subscripsisses.

Vis adorationem illam hyperdulix, qua Deiparam Catholici colunt, esse tantùm respectivam, ut Sacramentorum imaginum cultum. Hæc profectò à Theologis non didicisti, sed à quibusdam Anti-Marianis. * Tibi etiam displicet, quod ejus splendorem, potentiam, & dignitatem laudibus extollamus. Ecclesiam accusas cum hæreticis, quæ similibus elogiis Deiparam ornat, dum canit *Salve Regina, Ave Regina cælorum, &c.* Quantum suspicionis & veneni hæc præ se ferant, piis hominibus considerandum relinquo: nempe has laudes *inanes & pueriles* vocas. Et hæc, ut ingenuè loquar, tartareo stylo. Inertes deinde preces & sterilia

* Pag. 218. * Pag. 119.

vota

vota rejicis, quibus ad Mariam confuginus: nullas preces admittis; quas divinus amor & pura charitas non dicet. Miseros sanè peccatores, votis & precationibus interdictos! Quis errorem non videt? Vis nos imitari Mariam: sed imitari nequimus, nisi divinum adjutorium nobis obtineat. Illam igitur precibus & votis, ut illud nobis impetret, sollicitare debemus; idque sincero cordis affectu, in quem reverà non quadrat illud, quod attulisti: *Populus hic labiis me honorat*: quod probè in Phariseos, eorumque successores & imitatores Jansenistas quadrat. Nullum enim unquam apographum, felicius suum archetypum exhibuit. Sycophantæ & hypocritæ malis artibus & fraudibus omnia miscetis; aliis onera gravia imponitis, quæ vix extremo digito delibatis; doctrinam & eruditionem perpetuò jactatis, & vix prima Theologiæ principia tenetis; sacrorum Canonum observationem ad nauseam inculcatis, & Constitutiones Apostolicas in materia Fidei, & Concilia Oecumenica conculcatis; divinam charitatem libri vestri passim concrepant, & plusquam mortali adversus Jesuitas & Romanam Ecclesiam, ne quid dissimulem, odio flagratis.

* Simili modestiæ & pietatis genere, Sacrum Scapulare, Imagines, Rosaria, aliasque precationum formulas, & externa in Beatam Virginem pietatis officia quam plurimis exitiosa esse affirmas. Nemo Catholicus hanc phrasim, quovis modo eam condias, approbet: nec credet esse quam plurimos, qui vanam inde salutis suæ securitatem hauriant. Mox stylum contra divites exeris. Quid tibi velis, sat scio: emungere marsupia satagitis. Quis autem, ut dicis, spernit Christi & Mariæ paupertatem? Id sanè pietas erga Virginem impetrat, ut divinas illius virtutes imite-

* Pag. 220.

K 3

mur.

mur. Quis porrò flagitiosis hominibus persuadet, ut in suis flagitiis perseverent? apage istas calumnias, quas una Jansenistarum officina cudere potuit. Quasi verò præfati Scriptores ad omnia bona Christianos non hortentur; justos, ad perseverantiam & majorem perfectionem; peccatores ad pœnitentiam; divites, ad eleemosynam & divitiarum contemptum; pauperes ad patientiam; & quò hæc faciliùs obtineant, ad singularem pietatis cultum erga Deiparam. Quis hæc carpat, nisi Anti-Marianus? quis irrideat, nisi hæreticus, vel impius? quis Pharisaici ritus loco habeat, nisi Jansenista? dissimula, quantum libet: exteriorem illum Deiparæ, & Sanctorum cultum manifesto ictu impetis. Nec verò Barrius illo contentus interiorem virtutum praxim, Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ negligit, seu negligendam curat; neque Lectores ab iis virtutibus distrahit. * Quod quàm falsò imponas religiosissimo seni de rebus ad excolendum animum pertinentibus benemerito, & singulari pietatis amorisque erga Deiparam & Sanctos studio flagranti; nemo Catholicus non videt. Increpas illum, quod Deiparæ cultum absolutum, non respectivum, ut vocant, esse scripserit, ad mirabilem ejus excellentiam terminatum. Quasi verò Theologi omnes id non doceant; quasi verò Mariæ pulchritudo in se, & propter se (non tamen ultimò:) amari non possit; & impium, absurdum, ridiculum & stultum dictu sit, in sanctissima Eucharistia suscipienda, singularem illum pietatis erga Virginem affectum induere, quòd Christi Corpus ex purissimo Mariæ sanguine compactum sit. Et hæc stulta, atque Ecclesie scandala, & hæreticorum ludibria vocas? nec te pudet? ô monstrum!

Theophilum Raynaudum contrà Barrium in hanc rem adducis; non tam ut Barrium confutes, quàm ut eundem

* Pag. 221.

euudem Raynaudum fugilles, quem in multis nugatum esse dicis. Disputatio Theophili contra Barrium merè scholastica fuit; ingeniorum non voluntatum dissensione suscepta. Alter rigore scholastico discutit, ponderat, atque improbat nonnulla pietatis officia, quæ Theologiæ Asceticæ & simpliciorum pietati facilè indulgentur: alter verò charitatis ardore succensus, piorum hominum pietati, ac sinceræ fidei aliqua permittit, quæ alioquin scholarum rigor minimè permetteret. Dum Theophilum carpis, Leonem dormientem excitas. Nihil vobis hæctenus formidabilius fuit, quàm ne hic auctor omni literaturæ genere præditus, in Theologicis acutus, profundus, solidus, in doctrina Patrum versatissimus, utraque eruditione sacra & profana ad stuporem instructissimus, uno verbo, qui majore facilitate libros scribat, quàm alter exscribat, ne hic, inquam, stylum adversum vos exerceret. Egregiè præluserat contra Gibium Jansenii prodromum; foeliciter cœperat contra errorem de Duplici Capite: exin aliis, ut fors tulit, dissertationibus omnino distractus, vobis pepercit; sed nondum receptui cecinit; sat citò, si sat benè. Tibi saltem imputa, si fortè aliquando illius manu vapules: ne dubita, probè tibi furfures excutiet, ac te solita strigili defricabit. Quod subnectis à Sanjurio dictum, Barrius non negat, nec adversatur: & si Montaltius nihil aliud dixisset, ab re illi vitio verteretur.

* Demum reprehendis *exilia hujusmodi pietatis languidioris officia & minutiores devotiones* in totam Ecclesiam spargi. Animum tuum satis aperis: gravem pietatem, & severam Religionem postulas: hoc prætexis nomine fraudem: te satis superque prodidisti. Quibus adhæreas, jam constat. Purum illum amorem spirare videris, & spiritu Evangelico duci; spurio

rio tamen, hoc est, Janseniano, ut molliùs loquar, cum Calvinianum meritò dicere possim. Frustrà igitur de altero Apologista quereris, cùm ille Montaltium mitiùs, quàm par esset, exceperit.

N O T A I I.

De stupro sententia Baunii.

Montaltii malitia, in referenda Baunii opinione, nullam prorsus excusationem admittit: nempe illam refert, perinde atque si Virgo ita sui corporis domina esset, ut ad omnem usum eo uti posset, ac proinde sese licitè prostitueret: hinc *lutulentam* illam & *inauditam* opinionem vocat. Tu quoque Willelme, Montaltii vestigiis tuo more insistis. Quasi verò herus, servi sui dominus non sit, licèt ad turpem usum eo uti nequeat. Idem dico de omnibus aliis, quæ sub dominium cadunt. Sic Virgo sui corporis ita est domina, ut illud citra Parentum injuriam, ad honestos scilicet usus, alteri tradere possit: hinc si nubat, etiam invitis parentibus, matrimonium legitimum est, juxta Tridentinum sess. 24. in Decreto de reformatione Matrimonii. Hinc si Virgo sese alteri volens prostituat, peccat haud dubiè contra castitatem stuprator, at minimè contra justitiam; nisi fortè aliquod damnum Virginis parentes, aut detrimentum indè patiantur. Hæc est Baunii opinio, quam ipse accepit à Bannez, Navarro, Petro à Navarra, Soto, Graffio, Megala, citatis ab Apologista; ad quem te remitto, quia rem hanc egregiè discussit. Si vis, adde alios, scilicet Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 14. num. 1. Valquez opusc. de restit. c. 3. §. 1. dub. 1. n. 6. Lessium lib. 2. c. 1. dub. 1. Coninck de Sacram. tom. 2. disp. 7. dub.

7. dub. 4. n. 19. & plures quos refert & sequitur Diana I. part. tract. 17. resol. 12. Item Responsum illud editum Parisiis an. 1655. cui 18. Curiones & 12. Doctores Sorbonici subscripserunt in Matrimonii causa; quia hujus responsi veritas eo præsertim fundamento nititur, quod usus corporum, licitus scilicet, ad filios-familias, non ad parentes pertineat! Quod autem in stupro Virginis consentientes, virginitatis circumstantia in confessione necessariò explicanda non sit, docet De Lugo de Pœnit. disp. 16. sect. 4. num. 218. Ubi citat Soto, Suarez, Vasquez, Lessium, Sanchez, Coninck, Navarram, Tannerum, Megala, Molfesum, Dianam, additque num. 227. stuprum distinctam speciem inducere, quando intervenit violentia, aut raptus, aut dolus, aut aliud injustitiæ genus. Sed pudet diutiùs tractare fœces, quas toto libro passim aggeris. Quid aliud, quæso, scurra fœculentus effunderet?

N O T A I I I.

De Voluptatibus licitis.

Turpissimam recentioris Apologistæ, illius scilicet, quem furiosum & immanem vocas, doctrinam commemoras; * qui scribit, multos graves Theologos docere, voluptates gustus æquè licitas esse, ac auditus, odoratus, aspectus; easque moderatas scilicet, ex se indifferentes esse; & hanc doctrinam *turpissimam* censes, quam tamen docuere D. Bonaventura in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. Scotus ibidem a. 1. concl. 1. Ockamus in 1. q. 1. ad 1. Almainus tract. 1. moral. c. 14. Major in 4. dist. 31. concl. 7. Vis recentiores? Tabiena v. ebrietas n. 3. Navarrus Manual. c. 23. n. 119. qui citat Cajet. in summa. Toletus lib. 8.

* Pag. 223.

c. 62. Lessius lib. 4. c. 3. n. 6. Summa Benedicti lib. 4. pag. 368. Ludovicus Bail pag. 555. & plures alii, qui docent, peccatum gulæ non esse mortale, nisi sequatur damnum aliquod notabile corporis, vel offendiculum. Immo S. Thomas 2. 2. q. 150. art. 2. ad 3. peccatum gulæ constituit in gravi aliquo corporis incommodo ex ciborum superfluitate. Sed declamator agis. Ergone, inquis, nullum aliud Christianæ temperantiæ officium est, quàm ut nos ab illicitis & valetudini noxiis voluptatibus retrahat? ô bone, tuo te pugione confodisti. Non agitur de virtutis actibus, sed de indifferentibus; agitur de iis voluptatibus, quas licitas esse agnoscis, quandoquidem vis temperantiam à licitis quoque retrahere. Igitur si quis eas amet, illicitum quidpiam non amat; igitur non peccat; nam licet temperantiam non exerceat, à gulæ tamen vitio abstinet. Locus Ciceronis, quem adducis, ad rem nostram non facit, cum loquatur de intemperantissimis hominibus, quorum Deus venter est. Quis porrò negat, immoderatas gustus voluptates vitiosas esse?

Nec est, quod Epicurum, vel Julianum Pelagii defensores acerrimum, hujus dogmatis auctores esse fingas; cum celeberrimi suffragatores non desint. * Longissimus ille Augustini locus tibi adversatur; nec enim libidinem illam, vel cupiditatem tantulùm immoderatam hujusmodi voluptatum, tam turpem, aut virtutibus inimicam esse voluit; sed minimum quid appellat: & licet malum esse dicat, si jam *suppleta necessitate*, amor edendi animum sollicitat, quia non nihil intemperantiæ est; nusquam tamen dixit, esse lethalem noxam. * Subnectis Jesuitas *concupiscentia vitium* non agnovisse, qui fuit Juliani error, ac proinde erroneam & hæreticam eorum doctrinam esse;

* Pag. 224. * Pag. 225.

cum

cum appetitum illum naturalem esse censeant, quæ ipsissima est *concupiscentia*, primævi peccati miserri-
 mum gerimen. Vah stultum caput. Quis unquam ne-
 gavit vitiosam esse *concupiscentiam* & propensionem il-
 lam ad illicitas voluptates? quis tamen, nisi amens,
 nisi demens, nisi Jansenista, omnes voluptates esse
 illicitas, omnes motus appetitus, immoderatos, &
 quemlibet motum immoderatum scilicet, *concupiscen-*
tia, esse peccatum mortale sentiat? hanc distinctio-
 nem peccati mortalis & venialis rides; sat scio: sed
 eam Ecclesia, quod mihi fatis est, agnoscit. Non du-
 bitant etiam Jesuitæ, quin optimum factu sit, absti-
 nere à licitis, ut ab illicitis abstinere discamus: vo-
 bis sanè suo prælucent exemplo. Utinam Parochi ve-
 stri tam tenui victu suas mensas condirent! Non ne-
 gant etiam, quin *concupiscentia* coërcenda sit, jejuniis
 frangenda, aliisque piis cruciatibus in ordinem redi-
 genda. Sed hæc vobis est terra Australis incognita.
 Quid ergo Augustini loca frustra in hanc rem conge-
 ris? quem hostem petis, mi homo? sed tandem vi-
 deo, quid tibi velis cum tuo Jansenio: Vis actum om-
 nem peccatum esse, qui à Christiana virtute, immò
 & Charitate profectus non sit. Sed erras; nam multæ
 sunt Christianæ virtutis actiones, licet Charitas ab-
 sit; ut Fidei, Spei, Pœnitentiæ: sunt etiam aliquæ
 virtutes naturalis ordinis: sunt demum aliquæ actio-
 nes ex se indifferentes; id est, quibus ad bonum &
 malum finem uti possumus. Hinc ruit tuum illud ar-
 gumentum.

Alius porrò fuit Augustinianæ disputationis scopus
 & finis, quàm quem hoc loco Jesuitis ineptè applicas.

* Agnoscunt ipsi peccatum Originale, & fomitem
 peccati *concupiscentiam*; nec eam ullo modo laudant:
 corpus tamen per se non malum castigant, ut rationi

serviat

* Pag. 226.

ferviat, ne scilicet voluntas corporis illecebris capta, iis contra legem Dei adhæreat. Sed bonus sum, qui hîc disputo, ubi nulla est prorsus difficultas, nisi quam tua inscitia finxit, utpotè qui appetitum à *concupiscentia*, peccatum mortale à veniali, actum naturalem virtutis à supernaturali, ut vocant, licitum ab illicito, objectum indifferens à turpi & honesto, actionem non malam à bona, præceptum à consilio, bonum opus à meliore, doctrinam Catholicam ab Hæretica, Jesuitas demum à Pelagianis nullatenus distinguis. Quæ cum ita sint, sapientibus cogitandum relinquo, utrùm is, qui hæc aliaque hujusmodi non distinguit, dignus sit, qui cum Theologis disputet.

In decimam Epistolam,

N O T A I.

De absolute differenda.

Recentiorum Apologistarum ultrò hîc infectarum, eò quod scripserit, iis denegandam absolute plerumque non esse, qui vitiosam aliquam peccandi consuetudinem contraxerunt, quam scilicet ex animo detestantur, & sincerè ab ea liberari percipiunt; & licèt Confessarius certus non sit, fore, ut pœnitens à peccato abstineat, si alioquin rectè dispositus sit, etiamsi dubitet de firmitate & constantia sui propositi, eum absolvi posse: * Quid in hac doctrina tam vehementer exaggeres, non invenio; nec ullam in ea video rationis depravationem, nec temerarium antiquitatis contemptum, nec S. Caroli auctoritatem ludibrio habitam, nec Episcoporum Galliarum dignitatem

* Pag. 244.

tem insigni contumelia violatam, nec salutem Christianorum nefariè proditam, nec demùm apertum omnibus vitiis aditum. Inflatæ hujusmodi eloquentiæ, vel potiùs impiæ garrulitatis bullæ facilè difflantur: ad Apologistam te remitto, qui rem hanc breviter quidem, at solidè discussit. Quasi verò homo verè contritus contracta vitiosa habitudine, nunquam absolvendus sit. Quid si mortis periculum imminet? si longum iter suscipiendum? si præceptum Ecclesiæ instet, vel aliud opus, quod statum gratiæ postulet? si vitiosa illa habitudo valdè displiceat pœnitenti? si jam acriter secum ipse pugnavit, ut ab illa se expediat? si ut id faciliùs præstet, status gratiæ necessarius est? eum tamen absolvendum non putas?

Sed consilium tuum apertum est, Jansenianum ritum nobis obtrudis, quem Regio-portus tenet, quem Arnaldus inducere pro viribus conatur, quem vestri invita Ecclesia ubique promovent: Vis pœnitentem peccata sua exponere, mox ipsi pœnitentiam imponi, idque ad aliquot septimanas & menses; interim absolutionem suspendi, dum pœnitentia peracta sit: immò vis, absolutionem esse meram declarationem, non verò actum judiciale, contra expressam Tridentini definitionem. Apage istas nugas & ineptias. Pœnitenti rectè disposito, ac verè contrito, ad omnia quæ prudens & justus Confessarius injunxerit exequenda parato, modò id probabiliter & verisimiliter Confessario constet, absolutionis beneficium jure conferri potest, etiamsi malos habitus contraxerit, modò illi displiceant, & verè statuatur, illos extirpare. Vis auctores? nonnullos appello: Vivaldum in Candelabro tit. de absolut. §. casus. Metinam lib. 1. Summ. c. 14. §. 2. Petrum Ledesmam 2. tom. Summæ tract. 1. c. 9. Manuëlem tom. 1. summ. c. 34. n. 5. Ludovicum

cum Lopez 1. p. instruct. 232. Azor tom. 1. l. 4. c. 3. q. 3. Sanchez. Op. Moral. lib. 2. c. 32. n. 4. Ludovic. Bail pag. 263. De Lugo de Pœnit. disp. 14. sect. 10. cum multis aliis ; qui tamen non negant , quin Confessarius pro sua prudentia & charitate , non ad puniendum , sed ad medendum possit differre absolutionem ad breve tempus ; at nullus vel Scholasticus , vel Moralis auctor unquam dixit , tamdiu differendam esse , quamdiu habitudo vitiosa manet.

Sed jam ad tuos errores accedo. * Vis enim *habitus* illos vitiosos , quantumvis illos pœnitens detestetur , esse adhuc voluntarios ; & , dùm insunt , nunquam ab iis alienam esse voluntatem. Hic purum putum Calvinii & Jansenii errorem agnosco , qui volunt , concupiscentiam verè & propriè peccatum esse , quod est contra Trident. sess. 5. Nempe illa propensio ad peccandum , quam vitiosum habitum vocant , ipso peccandi usu contracta , per te habet rationem veri peccati , & hominem culpabilem reddit : igitur licet aliquis , cui ejusmodi habitus inest , verè contritus absolvatur , manet tamen adhuc peccati reus. Exempla , quæ pro te adducis , in rebus scilicet humanis , contra te retorqueri possunt. Nam in pecunia collocanda , admittendo famulo , probandisque novitiis , fide dumtaxat humana & notitia probabili homines nituntur ; tyrocinium , quo religiosæ familiæ utuntur , non modo ad probandam constantiam institutum est , sed ad discernendum aptos ab ineptis , & ad rectam juvenum informationem.

Nugaris igitur , mi homo , & nihil aliud ratiocinium tuum evincit , nisi tuas ineptias , & summam impudentiam ; qua probatum ab Ecclesia administrandi Pœnitentiæ Sacramenti usum reprobas. * Vis enim , cum tuo Arnaldo , satisfactionem & pœnitentiam ali-

* Pag. 245. * Pag. 146.

quot

quot mensium absolutioni præmittendam esse. Arnaldi librum impensè laudas : suspectum recusato laudatorem. Approbarunt viginti Doctores & sexdecim Episcopi : sed longè plures reprobarunt. Emendicata elogia vitio potiùs , quàm laudi vertuntur. Quod dicit de pœnitentia publica, jam supra rejectum : quantum in hoc argumento hallucineris , Bagotius demonstravit. Illa , quam jactas duodecim sæculorum praxis ; merum commentum est , pro peccatis occultis ; item pro publicis non paucis. Illa etiam , quam in Regio-portu adhibetis ; vestra fraude , non Ecclesiæ jussu introducta est. Iterati porrò lapsus cum vero proposito mores in meliùs commutandi sæpissimè conjuncti sunt. Quid aliud ad necessariam dispositionem desideras ? Nec S. Carolus aliud præcipit , nisi ut tunc differatur absolutio , cum aliquis jam per multos annos in eadem peccata prolapsus , nullam operam ad correctionem vitæ contulit ; vel est in aliqua occasione proxima , quam facilè dimittere possit , vel ita affectus est , ut nihil veri ac firmi propositi , aut necessariæ dispositionis habere videatur. Quis enim Jesuitas inter , idem non censeat , & utile sæpè non reputet , si post iteratos sæpè lapsus , absolutio differatur ? at id semper agere , ut vultis , intolerabile reverà esset , & in maximum fidelium *scandalum* & detrimentum verteretur. Quare prudentiæ & charitati Confessarii id totum Ecclesia permittit.

* Cleri Gallicani statuta videre non licuit , quia nulla condita fuerunt. Afficta illa Epistola , quam sæpè appellas , fidem non facit ; saltem maxima Prælatorum pars illam minimè approbavit. Testis quem in alio scripto , in hanc rem , appellatis , suspectus est , quia publicus Jansenianus. De doctrinæ Moralis pravitæ Sancta Sedes judicat ; ad quam , etiam extrà

* Pag. 247.

Conci-

Concilium Oecumenicum, hoc iudicium pertinet. Non dubito tamen inter tot Confessarios, nonnullos esse, qui nimia, vel severitate, vel indulgentiâ peccant. Omnis extremitas vitiosa: Utra verò peior, iis considerandum relinquo, qui sincero charitatis & veritatis studio ducuntur, non verò iis, qui per factionem atque tumultum omnia miscent. Sæpè à multis audivi, Jesuitas Confessarios inter mitiores non recenseri. Probate, sultis: Vobis sanè pœnitentiam publicam facilè imponent, quorum scilicet peccatum publicum est, & cum hæretica pertinacia conjunctum. Quod à solis Jansenistis eorum doctrina Moralis impugnetur, adeò certum est, ut nemo refragari possit. Parochos nihil moror, quorum scripta ex vestra officina prodierunt: quod nec satis dissimulare potuisti, cum ex iis, quasi centonibus, notæ istæ compositæ fuerint, & Censuræ aliquot Episcoporum ex eodem fonte prodierint. Et S. Carolus Jesuitarum doctrinæ & instituto adversus non fuit. Quod dicis, totam Ecclesiæ disciplinam ab iis fuisse labefactatam; ita, opinor, intelligis, ut fideles ad frequentem Sacramentorum Confessionis & Communionis usum induxerint. Quod quantum Arnaldo, aliisque ejusdem furfuris hominibus displicuerit, ex libro de Frequenti Communione perspicuum sit. Senescentem Ecclesiam hujus temporis vocas: cur ita dicas, satis constat; nempe rugas & maculas, errores in doctrina morum & fidei in ea perperam cum tuo Jansenio agnoscis: hinc reformationem proponis, sed hæreticam. Doles, sub Paschatis tempus, peccatores confiteri, quos per Sacerdotes ab Altaribus removeri jubes. Quamobrem verò? quia tempus non suppetit, diuturnam pœnitentiam absolutioni præmittendi. Si quis rectè dispositus absolvatur, errorem Je-

suiticum

suiticum vocas. Cur Jesuiticum, cum hic totius Ecclesie usus sit? Vellem, ut minus solliciti de aliis, de vobis ac vestra conversione ageretur, ac deponentes dolum & mendacium, ejuratis erroribus, posita contumacia, dignos poenitentiae fructus faceretis. Retinete solitas haereticorum voces. Quid ad vos attinet Ecclesiastica disciplina? rerum vestrarum fatagite. Sed furdis cano: merus obtentus est; quo nomine fraudem erroresque vestros praetexitis.

N O T A I I.

De Attritione.

Idem semper tibi que similis, Willelme, ubique calumnias affingis, convitia jactas, errores adstruis. Dicis, à Jesuitis doceri, * attritionem naturalem in Sacramento poenitentiae sufficere ad justificationem. Non desunt alii, qui hoc dicant, ut Soto, Navarrus, à Gamachæo citati Tract. de Pœn. c. 9. item Bonacina, Canus, Ledesma, Victoria, Capreolus, Ricardus, Cajetanus, Sylvester, citati à Leandro tract. 5. de Pœn. d. 1. q. 47. Sed hanc doctrinam Suarez rejicit de Pœn. disp. 20. sect. 2. n. 8. Vasquez improbat q. 92. art. 2. Granado explodit d. 8. n. 4. Molina parum tutam judicat in Concordia disput. 14. Amicus damnat tom. 8. disp. 13. n. 13. De Lugo falsissimam reputat disp. 5. sect. 8. n. 117. ceteri omnes improbant. Vel unum auctorem Jesuitam appellare debueras, qui hanc doctrinam sequatur. Quod autem attritio ex metu poenarum temporalium, quas Deus comminatur, elicita ad Sacramentum sufficiat, multi docent, ut De Lugo cit. sect. 9. n. 137. item Suarez disp. 20. sect. 2. n. 15. & alii. Si quæ ratio tibi suppetat

* Pag. 278.

contra istam sententiam, eam expromere debueras. Immò Tridentinum adducit in exemplum pœnitentiam Ninivitarum, conceptam ex temporali metu.

Pergis carpere Jesuitas, eò quòd doceant ad attritionem, seu contritionem imperfectum actum amoris, seu charitatis necessarium non esse. Quid, amabò, aliud Tridentinum docet? pro quo, te remitto ad Apologistas, immò ad omnes auctores scholasticos, qui post Tridentinum de hoc argumento scripserunt; exceptis paucis, iisque suspectis. Recense quæso & appella trium, aut quatuor celebriorum auctorum nomina, qui hoc sæculo obstinatiùs sententiam illam tuam scriptis in lucem editis propugnarunt; & fac deinde scias, quo mortis genere extincti sint; & an Sacramenti pœnitentiæ beneficio, sub extremam illam vitæ horam, gaudere potuerint. Auctores porò non cito, ne paginas impleam. Vis Hispanos? ad sunt benè multi, Suarez, Vasquez, Valentia, Canus, Sa, Granado, Henriquez, Azor. Vis Italos? habes Filiutium, Bonacinam, Sylvestrum, D. Antoninum, immò D. Thomam. Vis Gallos? ecce Paludanum, Gamachæum, Duvallium, Isambertum, Meratium, Martinon, Reginaldum. Habes etiam Germanos & Belgas, Adrianum, Tannerum, Coninck, Layman. Vis Cardinales? en Bellarminum, Toletum, De Lugo. Sed bonus sum, qui hîc hæreo.

Esto inquis: verùm attritio nequit esse sine detestatione peccati, at sine amore Dei nemo peccatum detestari potest. Ita Sylvius, Molanus, Estius. Istos auctores nihil moror, utpotè Bajo plus æquo addictos, ut Card. De Lugo rectè observat. Sed hæc opinio est contra omnes Theologos, & contra Tridentinum, ut monet De Lugo citatus n. 133. Vel enim amorem Charitatis intelligis, quantumvis remissum;

qui

qui reverà si adsit, non jam attritio, sed perfecta contritio est: vel amorem concupiscentiæ, ut vocant, quo Deum quidem diligimus, sed nobis: & hunc adesse ultrò fateor, cum sine illo Spes esse non possit; Spes autem & Fides cum attritione conjunctæ sunt. Attritio, inquis, includit æternæ damnationis metum. De aliqua attritione conceditur; de omni negatur, etiam ex Tridentino, ut constat; immò attritio de venialibus ad pœnam æternam terminari non potest, quatenus à lethalibus segregata sunt. Includit etiam, inquis, dolorem ob beatitudinem amissam, & hic amorem. Utrunque falsum: sed dato primo, non confesso, alterum non sequitur. Nempe dolor ille sine amore charitatis esse posset, non tamen sine amore concupiscentiæ. Relego breviter alias rationes à te congestas: sine gratia & Spiritu Sancto, inquis, ad gratiam nemo præparatur; igitur attritio naturalis non sufficit: & hinc hæresim Jesuitis affingis. Sed quam facile Doctores, qui huic sententiæ suffragantur, licet Jesuitæ non sint, hoc argumentum solvunt? confesso antecedente, distinguunt consequens: attritio illa naturalis præcisè non sufficit; ita est: at modò cum Fide, Spe, & Christiano Timore conjuncta sit in Sacramento; haud dubiè, inquier, sufficiet. Pergis: in mali temporalis timore, nihil est supra naturam, igitur attritio ex illo timore naturalis est; igitur ex naturâ justitia est; en Pelagium Jesuitarum operâ redivivum. Pudet reverà cum tam imbelli & ignaro adversario, vel alieno nomine, congregari. Quis enim Tyro in Theologiâ, hæc non rideat? negatur primò antecedens: nam ille timor est à principio supernaturali, quatenus Deus illud malum temporale comminatur: in Ninivitis luculentum exemplum habes. Præterea pœna Purgatorii est malum temporale, & ta-

men suprâ naturam. Insuper, dato, non tamen concessio, quod timor ille sit naturalis; cur, amabò, si cum Fide & Spe conjunctus sit, ad justitiam in Sacramento non disponet? an illa omnia, quæ Sacramentum componunt, supra naturam esse debent? Apage istas nugas & ineptias. Non te pudet, de rebus Theologicis disputare, quas prorsus ignoras?

Nullum actum ex solo timore pœnæ profectum ad justificationem sufficere dicis; * quia hic timor servilis est, ac proindè quatenùs servilis, malus; id què ex D. Thom. 2.2.q. 19. & ex Augustino probare conaris. Hoc loco luculenter hallucinaris; nam Doctor Angelicus expressè dicit, timorem servilem bonum esse, ac esse à Spiritu Sancto, sive sit cum Charitate, sive ab ea se junctus: nempe utrumque S. Doctor expressè docet, & art. 7. dicit esse principium disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ, discedit à peccato. Equidem si quis merâ dumtaxat *servilitate* (sic enim vocat) duceretur, id est, ita esset affectus erga peccatum, ut illud omninò admittere vellet, nisi pœna subeunda foret; haud dubiè ille timor merè servilis vitiosus esset, nec ad legitimam attritionem sufficeret. Hinc per timorem servilem bonum, ita homo timet pœnam, ut amet justitiam, id est, ut excludat voluntatem peccandi, igitur includat voluntatem benè agendi; id est, justitiæ & rectæ vitæ amorem. Cuncta hæc sine Charitate esse possunt; ad eam tamen in Sacramento conducunt. Sed tibi ridiculè contradicis, cum dicis, timorem servilem ex parte *servilitatis* malum & bonum esse; hæc autem ita confundis, ut minimè à te intellecta esse manifestum sit.

Aliud argumentum profers, sed centies & millies à Doctoribus discussum: dicis enim, nullam esse legitimam

* Pag. 249.

timam attritionem, quâ homo ad Deum non convertatur; sed nulla ad Deum conversio, in eo, qui solum malum temporale metuit. Sed hoc nego; converti enim ad Deum idem est, ac se convertere ad mandata Dei servanda, ad honestam vitam, &c. Sed quidni hoc aliquis, solo timore pœnæ faciat? S. Thomas loquitur in loco quem adduxisti, de perfectâ contritione, ut patet; hinc laboras in ambiguo, vel potiùs in ignoto. Sed instas: qui timet malum temporale, diligit bonum temporale oppositum; igitur non diligit Deum; igitur nec colit ipsum Deum ex Augustino. Colit certè Deum, ipsumque diligit, sed amore concupiscentiæ, quo scilicet amat bonum, malo quod timet, oppositum: prætereà cum timore pœnæ, voluntas non peccandi conjuncta est, igitur & Deum colendi, ut patet.

Eodem recidit ultimum tuum argumentum, * scilicet, novam inter legem ac veterem, illud tantum discrimen esse, quod in veteri propter bona temporalia, in novâ propter æterna Deus colatur. Tum multa Augustini loca in hanc rem congeris. Cuncta hæc frustrâ: nam etiam sine Charitate possum appetere cœlestem gloriam, & amare Deum amore concupiscentiæ. Illud autem præsertim Pauli ad Galatas eò spectat, ut à terrenis cupiditatibus D. Paulus homines abstrahat. Augustinus verò illum dumtaxat timorem merè servilem damnat, quo quis à peccato exteriori abstinere *in opere*, cui tamen *affectedu* adhæret *in voluntate*. Hinc reus est, inquit, *in ipsa voluntate*, qui vult *facere*, quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia *impunè non potest*. Immo omnia illa Augustini loca, *servilitatis* vitium eo modo explicant, quo à me supra explicatum est. Sed hæc quò spectant? Vin' ego dicam? Duos fines vobis proponitis: Primus est, ut Tridentini

tini auctoritatem eleuetis; hinc timorem pœnarum malum vocas, quem tamen Tridentinum sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4. utilem & bonum esse testatur: alter verò, ut Sacramentum Pœnitentiæ è medio tollatis; nempe ideò contritionem perfectam, id est, Charitati conjunctam, necessariam esse dicitis, & satisfactionem præmittendam esse præscribitis; ut peccata ante absolutionem remissa esse censeantur, ac proinde ipsa absolutio actus judicialis non sit, sed mera declaratio, contra Tridentinum sess. 14. c. 6.

N O T A I I I.

De præcepto amandi Deum.

* **I**N scenam Polemicam & pulverem contentiosum Iprodus Willelme, disputas, arguis, distinguis, explicas, instas, & quas tantopere Jansenius odittricas, etiam Scholasticas adhibes, easque Scholasticorum formulas & distinctiones, quas hætenus tuæ factionis homines exploserunt. Hic audio tandem aliquando Jansenistam cum Scholasticis Theologizantem, sic enim per te loqui liceat. Gratulor tibi has voces *affectu, effectu, habitu, actu, virtualiter, realiter, necessitate mediæ & præcepti, totaliter & totalitates*, aliasque hujusmodi. Prætereà D. Thomæ & S. Bernardi agis interpretem: quàm accuratum & rectum, is facile intelliget, cui mos Jansenianorum perspectus est; & bona fides, quam Annatus tantopere commendavit, com-

* Pag. 252. ad Pag. 284. Longum tractatum de Præcepto amandi Dei inseruit. Cum autem tum à Sirmundo, tum ab Apologistis, hoc argumentum plenè discussum sit, & meram locorum farraginem, & repetitionum congeriem hic dumtaxat esse videam, omisâ longiore disputatione, rem breviter conficio.

comperta. Publicam enim auctoritatem & facultatem sibi arrogant, verba Dei, Patrum, Conciliorum, Rom. Pontificum, Doctorum adulterandi: in verbis S. Thomæ jam supra non semel hujus rei fidem fecimus.

Sed age Willelme, contrahamus disputationem. Præcepto negativo amoris Dei hominem semper teneri, tecum Sirmundus, contra quem disputas, & Jesuitæ omnes sentiunt; ne scilicet quidquam homo admittat, quod prædicto amoris contrarium sit: item præcepto *positivo effectivi* amoris, ut ajunt, servandi scilicet divina præcepta; nempe ille Deum diligit, qui *sermones illius servat*: item præcepto naturali, ac etiam *positivo*, si velis, amoris *affectivi*, id est, eliciendi actum interiorum veræ Charitatis; quo tamen præcepto, hominem semper ac singulis momentis obligari, non dices, sed aliquando dumtaxat; tunc autem obligari, mecum facile senties, cum ad finem suum obtinendum, actus ille saltem moraliter necessarius est, v. g. in articulo mortis, si quis sibi peccati mortalis conscius sit, nec Confessarii copia fiat; item cum Sacerdos rem sacram facere tenetur ex officio, nec adest Confessarius, ac se lethalis culpæ reum agnoscit; idem pro administratione aliorum Sacramentorum dicendum est; item cum quis probabili periculo sese exponit, vel longæ navigationis, vel justis prælii committendi, vel proximi juvandi contagio laborantis, vel in gravissima tentatione odii Dei. In his omnibus, præcepto amoris *affectivi* hominem teneri Jesuitæ omnes sentiunt; de aliis casibus probabiliter disputant: omnes tamen negant, teneri ad actum *supernaturalem* Charitatis eo primo temporis momento, quo ad rationis usum pervenit: quod aliqui Doctores Angelico attribuunt, quem tamen Sirmundus non

ineptè interpretatur, quidquid dicas, mi homo, eique affingas. Nunquam enim negavit, ad actum Charitatis hominem teneri, quotiescumque ad salutem obtinendam, legem implendam, fugiendum peccatum, sedandam conscientiam, est necessarius.

Sed à te rescire velim, quandonàm sit necessarius, extrà casus prædictos & alios ejusmodi, pro quibus omnes conveniunt. Sunt qui velint, hominem ad hoc teneri, omnibus diebus Festis; alii singulis diebus; alii cùm acceditur ad sacram Synaxim; alii cùm gravis tentatio urget; alii semel in anno; alii cùm inspiciatur: suam quisque opinionem probabili aliqua ratione probat; sed ut inter se non conveniunt, ita neminem, opinor, teneri dices, ad unam potius quàm ad aliam. Ad quam enim? appella quæso: hoc tibi faciendum erat, ut aliquid novi adstrueres; cum tamen nihil aliud nisi crambem recoctam denuò apponas. Licèt enim interpretatio tua locorum discussorum, SS. scilicet Bernardi & Thomæ Aquinatis, Gersonis, &c. legitima esset, quod tamen tibi non concedo, cùm nihil sanè minùs præstiteris: nempe Doctoris Angelici locus, ut Bernardum omittam, satis obscurus est, ut tu ipse fateris; si ergo illius sensum, cum clarè & perspicuè loquitur, minimè capis, quomodò illum assequèris, cùm obscurior & difficilior est? Sed hoc dato, & non concesso, tuam scilicet interpretationem legitimam esse; quid inde? Igitur interpretatio Sirmundi corrui. Esto corrui; quid ad rem? Igitur amor actu est necessarius. Ita est; at non semper: dic, amabò, quando extrà casus expositos, in quibus omnes consentiunt, atque aded ipse Sirmundus; licèt in iis præcepti naturalis, & legis æternæ vim obligationemque potius consideret, quàm positivæ: dic sodes, extrà prædictos casus quandonàm

nàm præceptum illud positivum obliget? sed dic aliquid certi: nam amentes sibi somnia fingunt. Taces: Vin', pro te respondeam? quid tibi velis, satis innuis. Jam Tui toties responderunt, hominem in omnibus actionibus suis teneri, actum Charitatis elicere; sic enim locum Pauli perperam interpretantur. Itane verò? huc spectas, mi homo: Vis ab homine peccari in omni actione, quæ ab actuali Dei amore profecta non sit. Igitur Fides informis peccatum est; Spes item, & sanctus Timor, item attritio, & oratio peccatoris; immò cum actus divinæ Charitatis eodem instanti Charitatem habitualement vel supponat, vel inducat, omnis peccatoris actio peccatum est. Hinc si orat peccator, peccat; si rei sacræ interest, peccat; si mendico eleemosynam erogat, peccat; si Dei timore concutitur, peccat. Hinc ais, fieri non posse, ut qui non amat Deum, scilicet actu, aliquid non amet plusquam Deum. Sed vide, amabò, quid dicas. Nam amare aliquid plusquam Deum, est peccatum mortale; igitur omnis actus, qui amorem Dei non continet, est peccatum mortale. Nec errorem excusat id, quod dicis, amorem *mansorium* in creatura, quo quis in ea defigitur, esse peccatum veniale, nisi actus aliquo speciali præcepto prohibeatur. Nam defigi in creatura, est in ea ponere finem ultimum; & hæc est peccati mortalis nota. Nec demùm est, quòd dicas, à te non intelligi illum Charitatis gradum, qui sine Sacramento justificat: quia gradus ille speciem non mutat; & per te Charitas nascens, proficiens, & perfecta, sunt ejusdem generis; Charitas autem Theologica, etiam in gradu remisso justificat, aut certè cum gratia justificante conjuncta est. Hæc & alia multa absurda, impia, blasphema, hæretica ex illo vestro principio recta consequuntur deducuntur; neque fateri erubescitis.

citis.

scitis. Et hæc ad longam illam dissertationem, in qua millies eadem repetis, ac perpetuò nugaris.

Sed dato, ut dixi, & non concesso, te aliquid confecisse, nihil aliud obtinueris, quàm ut præceptum positivum divini amoris, non quidem semper, sed aliquando obliget, idque certò, in casibus scilicet expositis, aliisque similibus; ac proinde doctrina illa ad eosdem pertineat. Quòd aliàs sit obligatio, scilicet pro alio casu determinato, nunquam probasti; dicam ampliùs, nunquam probabis. Sed, ut dixi, tam multa ad pompam & speciem congeffisti, ut aliquid apud indoctos auræ captares; ut Theologum ageres, vel potiùs Theologastrum; ut vel hunc fucum erroribus vestris circa divinum amorem obduceres; denique ut sub amoris divini specie, simplicioribus imponeres, eosque in fraudem erroremque induceres. Fraudem detexi, errorem ostendi; cæterùm ad Apologistam te remitto, qui egregiè, brevius licèt, calumniam vestram diluit, & totam rem istam egregiè discussit.

In Epistolam undecimam,

NOTA PRIMA.

De Jocis Montaltii.

DE hoc argumento præclare scripserunt Apologistæ; idque variis locis, sed præsertim in I. responsione ad Litteras Montaltii generatim, tum in responsione ad Epistolam undecimam, & in responsione ad objectionem 54: neque hîc tam infirmi ac jejuni fuere, ut scribis. Montaltius nuga-

tur,

tur, mentitur, calumniatur, fallit & fallitur: quàm elegans, inquis, quàm urbanus, quàm tersus & ingeniosus! Uterque Apologista calumnias diluit clarissimè, Jansenistarum fraudes detegit apertè, doctrinam Catholicam defendit solidè: quàm jejunus, inquis, quàm infirmus, quàm misellus & languidus! In responsione ad undecimam Epistolam nihil est, quod rideas, * nisi misellum Montaltium, imposturæ scilicet, calumniæ, blasphemiarum, impietatis, erroris & impudentiæ convictum, nisi fortè miserrimi hominis sortem lugere malis. Concedit quidem Apologista, impia hæreticorum dogmata à SS. Patribus nonnunquam irrita fuisse: neque hoc improbat, sed ludicras & scurriles hæreticorum contra Catholicos satyras, id est, Jansenistarum contra Jesuitas. Quis enim neget hos esse Catholicos; illos hæreticos, à tribus Pontificibus damnatos, cum scilicet doctrinam damnatam obstinatè defendant? Vis, Jesuitarum impia dogmata, & Jansenistarum doctrinam Catholicam esse: primum, ut nugaris, probavit Montaltius suis litteris; alterum Deus suis miraculis. Sed Epistolæ Montaltii damnatæ fuerunt; igitur nihil probant: accedit quòd egregiè refutatæ sunt; & luculenter ostensum, eas erroribus, calumniis, imposturis, mendaciis, convitiis, fraudibus & dolis, nec non ineptis & malignis salibus scatere. Quid, amabò, lucis à tenebris, veritatis à mendacio, sinceritatis à dolo, justitiæ ab impostura sperandum? Quod attinet ad miracula; vestra fide, quæ dubia est, stare non possunt; nec tibi, qui adstruis miracula, fidem habeo; quia fidem tuam prodidisti. Vis tibi credamus, qui Deo ejusque Vicario non credis? sed de his infra.

Sed, inquis, Jesuitas in turpissimis & quavis dignis objurgatione, doctrinæ flagitiis, Montaltius deprehendit.

* Pag. 300.

hendit. Error doctrinæ flagitium est? errores habetis, quos scilicet Ecclesia damnavit; igitur flagitia illa vestra sunt, non Jesuitarum. Non desunt alia, præter errores, flagitia, quorum Montaltius reus est; utpotè qui tot calumnias affinxit, tot probra jecit, tot fraudes texuit, tot aculeis punxit. Sed quænam sunt horrendæ illæ calumniæ, quænam rabida convitia, quibus Jesuitæ vos confixerunt? hæreticos fortè vocarunt? non est calumnia; cum Ecclesia errores illos damnarit, quos per incredibilem contumaciam defenditis. Quod deinde fraudes vestras detexerint, calumnias diluerint, malas artes patefecerint, ad suum dumtaxat, Veritatis, Religionis & Ecclesiæ defensionem; ideò sanè dici nequeunt convitiatores. Tum rides querelas furiosi, ut vocare soles, * Apologistæ, cujus textum tua versione in multis adulteras v. g. dùm *calumniam in urbanitatem* vertisti. Sed hæc & longè majora *fidei Janseniana* facilè condonantur. Rides hujus pueruli lachrymas, & ex Parochorum scriptis longam laciniam huc traducis: haud ab re quidem; uteris jure tuo; amicorum omnia Communia. quid; quod ex eadem officina hæc omnia prodierunt? Et tuas satyras blandum & facetum scribendi genus vocas? Deus me liberet ab iis blanditiis. At, si hæc tam atroces & acerbæ sunt, quid ab irâ & furore expectandum? crede mihi, non pueriliter, ut ais, Apologista de his conquestus est, sed graviter, nec non Christiano more. Res sanè miseranda fuit & commiseratione digna; per aliquot menses Jesuitas calumniis, imposturis, convitiis, satyris opprimi à nebulone sycophanta, puro puto hæretico; in manifestum dedecus justitiæ, Religionis, Ecclesiæ, Veritatis; non sine piorum scandalo, impiorum risu, & plausu hæreticorum; idque impunè, nulla auctoritate publica,

sive sæculari, ut vocant, sive Ecclesiastica intercedente. Hæc sanè justis querelis occasionem præbuerunt: at non multò post, Romanus Pontifex vindice Decreto, impias satyras damnavit.

Montaltii denique variam, qua pollet, in dicendo facultatem, laudibus in cælum extollis; tum prudentem ejusdem circumspeditionem, sinceritatem, moderationem, & vivum in eo pietatis exemplar impensè commendas. Ad Apologistas te remitto; sed quid ajo? ad Lectorem Catholicum. Crede mihi, virtutum nomina oppositis vitiis non benè conveniunt. Quidquid odium, rabies, & desperatio, aculei, satyræ, veneni, ferri habuere, passim adhibuit: & pium, moderatum, blandum appellas: neque id studio habuit, inquis, ut risus de Jesuitis excitaret, & populorum animos ingeniosis scriptionibus detineret. Te malignum hæcenus & ignarum reputavi: at te modò stultum & mente captum exhibes. Mille modos excogitavit, quà fraude, quà imposturâ, quà mendacio, ut ridiculos Jesuitas in suis satyris exhiberet: & negas, id unquam in animo habuisse? Ita est: non Jesuitas, sed Ecclesiam petis: non eorum doctrinam, sed Catholica dogmata fugillas: merus obtentus est: hac via, ad eum finem spectas. Laudas iterùm atque iterùm, ingeniosas Montaltii scriptiones, artem, ingenium, urbanitatem: hæc sanè in scurram, histrionem, & insignem sycophantam minùs rectè quadrant. Sed hic homunculus, inquis, cum totâ Jesuitarum potentiâ certavit invictus, & ab iis tristes ejulatus expressit. Justas sanè querelas, non verò ejulatus; piæ fortè lachrymæ non defuerunt, quod inter Christianos tam horrenda impietas impunè sæviret. Cum totâ, inquis, Jesuitarum potentiâ: minis dicis, quàm par sit; rem imminuis: dic potius, cum totâ Ecclesiæ

Ecclesiæ potentiâ. Certavit invictus? mentiris Willelme: à te hanc vocem accipio. Certavit quidem, sed tandem victus, damnatus, & nigro theta notatus est. Subdis Jesuitarum dogmata eo modo prodita, qui eorum *absurditatem* lectoribus nudaret. *Eo modo*, inquis; affictis scilicet per imposturam & calumniam illis absurdis, quæ nunquam iis in mentem venerant. Nempe dum germanam illorum doctrinam sincerè exposuisti, quod rarè accidit; nulla, præter tuam, absurditas, nullæ, præter tuas, ineptiæ inesse potuerunt. Et mira Montaltii felicitas fuit, tum in effingendis ineptiis, suis videlicet & Regio-portuensium, tum in affingendis religiosorum hominum Societati.

N O T A I I.

De Rosario & gratia sufficiente.

BEnè est, habemus fatentem reum. Fateris enim à Montaltio, ac proindè à Regio-portuensibus, eam gratiam sufficientem negari & irrideri, quam Jesuitæ admittunt, & quam Thomistæ non negant, quidquid iis secùs affingas: * eam scilicet, quæ verè sufficit in actu primo, ut vocant, quæ dat *posse* proximum, seu potestatem proximam agendi. Illa est, quam negat & irridet Montaltius: & quâ sublatâ, præcepta Dei sunt impossibilia; gratiæ interiori, cujus ope homo agere proximè valeat, nunquam resistitur; dum peccatur, necessariò peccatur, &c. Ex hoc uno principio, omnes errores vestros à S. Sede damnatos, necessariâ consecutione deducitis: in hoc enim contrà Logicæ regulas non peccatis. Primarius igitur error est; quem Thomistis, ut dixi suprâ temerè affingitis. Et verò tolerari non debet, quod dicitis, Jansenium

senium docuisse nihil, quàm quod ipsi Thomistæ de gratiâ docent. Nam ita Bullas & Decreta Innocentii, & Alexandri, eludis; qui doctrinam Jansenii damnarunt, & Thomistarum intactam reliquerunt. Hinc gravissimam religiosissimis Doctoribus injuriam & contumeliam infers, quos in damnationis errorisque communionem per vim & invitos abripis.

Quod dicis, nunquam Montaltium de Rosario jocatum fuisse; quid vis, tibi dicam? ad pœnam libri: consule primam & secundam Paginam Epistolæ novæ, & videbis inter illa pia erga Deiparam officia, quæ per summam impietatem Montaltius irridet, Rosarium quoque & sanctum Mariæ nomen contineri: irridet enim Montaltius ea, quæ Barrius scripserat; hic nunquam scripsit, hominibus, in flagitiis, permanentibus, propter externa pietatis erga B. Virginem officia, certam salutis spem esse; sed multa hujusmodi officia recensuit, quibus homines non extrinsecus dumtaxat, & ore tenus, sed ex pio animi affectu profectis, ea gratiæ subsidia obtinerent, quibus, & peccatores ab iis flagitiis, quæ dicis, liberarentur, & justi in justitia permanerent. Constat igitur, nihil aliud Montaltium impiè irrisisse præter illa pietatis officia: quod ei Apologista exprobravit. Sed non miror, à vobis negari, ea scripta esse, quæ reverè scripta sunt; cum etiamnum negetis, quinque propositiones damnatas, esse Jansenii, quamvis ab Ecclesia hoc definitum sit.

NOTA

* Pag. 302

N O T A III.

De Moinio & Garasso.

ADversus Moinios infensum animum geris: fortè quia Moinius Gallico idiomate *Monachum* significat; Monachos autem in Gallia, cujuslibet instituti religiosos, perperam licet, appellant. Quid verò tandem peccavit Moinius ille Jesuita? quod in carmine elegantissimo, per leporem Poëticum, pudorem Virgineum, rubori, quo Cherubinorum vultus vulgò suffundi solent, compararit. * Grande scelus & horrendum nefas. Apologista tam injustum & inane probrum contemptim rejicit; & uno verbo commendat ingenium, & stylum viri, quem jam contra Theologiæ Moralis famosum libellum, cum summa laude distrinxerat; miratur nimiam illius tolerantiam, tibi, Willelme, in Jesuitis valdè suspectam. Nam qui tot noxia, inquis, flagitiosè defendunt, quomodò ea non defenderent, quæ aliqua ratione defendi possunt? Porrigo sceniculum, ut os virulenta illa eluvie scædatum abstergas. Quid, amabò, Moinius hîc defenderet? quid enim illi opponitis? figuram Poëticam? ingeniosum & infons acumen? Unum ingenuè dicam, quod à clarissimo viro accepi, de cujus fide nullum mihi dubium est, triginta saltem Apologias & refutationes libellorum Regio-portuensium à variis Jesuitis fuisse compositas, vetuisse tamen hætenùs eorundem Præsides, ad majorem Christianæ patientiæ commendationem, ne typis mandarentur. Utinam tandem consilium mutent! esset enim operæ pretium, infrunita hæreticorum ora comprimere: hoc reverà esset, obsequium præstare Deo; cum petulantes illi

* Pag. 302.

sycophantæ longa illa patientia abutantur; nec enim patientiâ, sed acri animadversione hoc genus demoniorum expellitur. Ad Garassi locum deinde transis, quem statim ipsa versione adulteras, dum sic vertis, humana personalitas, Verbi personalitati inserta est, & super ea quasi equo collocata. sic vertere debueras, personalitas hominis personalitati Verbi quasi insita, & quasi jumento imposta fuit. nempe ex furculo insito & trunco, cui inferitur, una planta evadit; truncus autem sustentat furculum; item ex homine & equo, cui insidet, & à quo fertur, fit unus eques. Sic ex persona Verbi & humanitate fit unus Christus; & licet claudicet comparatio, hoc tamen non facit, ut damnanda sit: ut enim fit unum totum, in ratione plantæ, ex trunco & furculo, qui à trunco sustentatur; & unum totum, in ratione equitis, ex homine & equo, qui hominem sustentat, ita ex Verbi persona & humanitate à Verbo sustentatâ, fit unum totum hypostaticum, id est, in ratione personæ. Quod Verbum comparetur equo, mirum vobis accidit. Sed comparatur Leoni, Gallinæ, Agno, Aquilæ, Pelicano, immò & Vermi; & ex Pauli loco, caro Christi Verbo unita, id est, ipse Christus, jumentum dicitur. Nec est, quod dicas, humanitatem, non Verbum, jumento comparari: erras mi homo, erras. humanitas Verbo unita, Christus ipse, qui Deus est, jumento comparatur, cum sit agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & jumentum, quod hominem faucium & semimortuum curandum ad stabulum, & curatum in cœlum tulit. Sed quæro te, Willelme, ostende parumper Nestorii hæresim in hac Garassi sententia, cum impio joco, manifestè, quantum per imprudentiam, ut inquis, fuisse conjunctam. Nestorius duas personas in Christo agnovit: Garassus eodem, quem oppugnas, loco, disertis verbis, non ni-

si unam admittit. An ex furculo, & trunco, cui est insitus, duæ arbores fiunt? an ex homine, & equo cui insidet, duo equites evadunt? De hæresi malè, iudicas. Rectè de eâ censere, hæretici profectò non est; utpotè, qui aliorum Catholica dogmata pro heterodoxis, & sua heterodoxa pro Catholicis habeat. Quid mirum? cum factus sit sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Et ut ab equis ad asinos, ad vos scilicet revertar, quis nescit vos esse reos, damnatos, & Vaticano fulmine tactos; doctrinam vestram hæreticam, impiam, blasphemam à supremo & legitimo iudice declaratam; libros vestros multiplici Decreto confixos, & nigriore nota fœdatos? Quis igitur ferat, insolentem illam proterviam, qua vobis impunè potestatem arrogatis, iudicandi doctrinam morum & fidei, damnandique auctores Catholicos, qui vestros errores, pro eo, quo sunt erga optimam Parentem Ecclesiam zelo refutarunt? quis unquam tam immanem arrogantiam, tam horrendam superbiam ferat?

In duodecimam Epistolam,

NOTA I.

Ignoti Scriptoris Epistola.

HAnc latinè reddidisti, inquis, notarum loco. * Scriptorem ignotum dicis, quasi alter ignotus etiam non sit. Montaltii nomen scenicum est: scena haud dubiè histrionem decet. Quamobrem porrò Montaltium nomen suum tacuisse dicis? nonnè

* Pag. 320.

quia

quia sibi à Jesuitarum gladiis & sclopis timebat? O timidum animal, qui te mortalium sibilis exponis! stylum Jesuitarum timuit, non gladium; aut certè gladium timuit & laqueum Carnificis: multi enim extremo supplicio, juxta legum Decreta, plectuntur, longè Montaltio innocentiores. Tum Montaltii potentiam & vim exaggeras, qui, si voluisset, inquis, ut te, Deus bone poterat calfacere! affusâ scilicet calidâ: Viden' ut totam Societatem agat, & verset? hactenùs tamen immotam. Quid si in te unum vertisset impetum? Iepidè prorsùs & thraſonicè. Doles prætereà, quòd Jesuitæ Jansenistas vestros tanquam hæreticos infectentur. Dolere potiùs debueras, quòd Jansenistæ sint hæretici, & damnatis erroribus obstinatiùs adhæreant.

His præmissis, ad quæstionem accedis. * Montaltius Vasquis doctrinam de eleëmofyna ita exposuerat, quasi divites laicos omnino liberaret à facienda eleëmofyna, etiam de superfluo. Hanc imposturam egregiè diluerat uterque Apologista; primus quidem impostur. 1. & in respons. ad duodecimam Epistolam; alter verò in respons. ad objectionem 12. & ab his clarissimè ostenditur, ex mente Vasquis, divites teneri, dare eleëmofynam, non tantùm de superfluo, extra casum extremæ necessitatis, sed etiam de necessario, idque sub pœna peccati mortalis cap. 1. Opusculi d. 111. n. 29. & 18. 13. Sed doctrinam hujus Doctoris non intelligitis, nec capituli varias distinctiones, quibus appositè omnind explicat, quid sit superfluum, quid necessarium. Nempè aliquid est necessarium vel ad vitam, tum propriam, tum familiæ; vel ad statum jam acquisitum, vel ad illum, qui legitimè probabiliter proximè, & ut sic dicam, prudenter, haud temerè acquiri potest; vel ad famam, &c. Dein-

* Pag. 321. ad 325.

dè alia est ordinaria pauperis necessitas, alia extrema; alia non extrema quidem, sed gravis & urgens: prætereà aliud est, divitem adstringere sub pœna peccati mortalis, ad faciendam eleëmofynam; aliud, hortari, impellere, invitare. Cuncta hæc ita confunditis, ut unum ab alio non distinguatis; cum tamen manifestum sit, doctrinam Vasquis longè strictiorem esse, doctrinã Gabriëlis, Majoris, & Gersonis; qui docent, divites teneri tantùm in extrema pauperum necessitate; immò & Cajetani, qui docet, divites non teneri extrà extremam necessitatem, nisi de superfluo. Quod ad tuas cavillationes reponam, nihil opportuniùs occurrit, quàm si tibi auctor sim, ut legas dubium illud 3. Vasquis; & si fortè non intelligis, ut magistrum adhibeas, quo reverà satis indiges, cum tantam ignorantiam præ te feras. Vellem etiam accereres morum magistrum, qui tuam illam feritatem, & efrænem licentiam coërceret. Immò si me audis, totum illud opusculum diligenter volves, cum in eo genere, nihil melius, firmiter, & solidius inveniri possit.

Ne tamen mihi vitio vertas, quod errores tuos dissimulem, aliquot adnoto. * Maximum crimen à Vasque & Apologista, Cajetano affictum esse dicis: quamobrem verò? quia eum docere asserunt, in *Tract. de Indulg.* extrà extremam necessitatem, dandi superflui præceptum, peccati venialis modum non excedere. Accipe verba Cajetani tom. 1. Opusc. 27. quæst. tract. de indulgent. quæst. 3. num. 40. *Licet, inquit, necessitas non extrema non obliget ad peccatum mortale omitterentem eleëmofynam, magna tamen necessitas visa à potenti sine suo incommodo subvenire, (:de superfluo scilicet, alioquin incommodo esset:) rationabiliter tenetur, ut obliget etiam ad peccatum, quamvis non mortale.* Illud

* Pag. 325.

autem *seclusa superfluitate bonorum*, ad rem non facit: vult enim Cajetanus, locum illum Joannis 1. c. 3. *Si quis viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo*, præscindendo à superfluis, de extrema necessitate intelligendum esse, si assertivus sit. Licet autem Cajetanus contrarium videatur dicere tom. 2. tract. v. hunc tamen scripsit anno 1496. illum verò de indulgentiis 1518.

Præterea carpi Vasquem, eò quòd dixerit, vix unquam teneri aliquem ad eleemosynam præcisè ex superfluo status, cum vix unquam hujusmodi superfluum sit: quod à legis Evangelicæ animo prodigialiter abhorre dicis. At idem habet Cajetanus, in Summâ Morali, Verbo *Eleemosyna: superfluum judicandum est*, inquit, *consideratis sumptibus, status munificentia, magnificentia, communibus eventibus, heredibus, & aliis ejusmodi; ita ut raro videatur contingere, ut homo secundum statum gloriose vivens superfluum habeat*. Denique id quod dicis, extremam necessitatem, de qua loquitur Cajetanus, eandem esse cum ea, quæ à Vasque magna, gravis, urgens vocatur, & quàm ab extremâ cum omnibus probè distinguit; ejusdem furfuris est cum aliis tuis figmentis. Est profectò, quòd dicam, nullum mihi visum hactenus cum tanta impudentia scripsisse. Erit, quòd miretur posteritas, eò processisse impudentiam hominis Janseniani, haud dubiè à malo Dæmone acti; ut ter etiam & quater imposturæ convictus, eandem tamen, per diabolicam obstinationem, quæ resipiscere nescit, denuò referat.

Ad Simoniam deinde gradum facis: * & quamvis ab utroque Apologista sincere ac fideliter edoctus, discere tamen non potuisti, nullam esse Simoniam, juris scilicet divini, ubi datur aliquid temporale pro spiritali, aut vicissim, non tamen ut pretium: nem-

pè Simonia venditionem continet, seu realiter, ut vocant, seu virtualiter & æquivalenter; alioquin enim, nihil posset dari pro Missa, pro Horis Canonicis, pro administratione Sacramentorum. Non datur hoc titulo, inquit. * Rectè: non datur titulo pretii, sed alio v. g. pii stipendii, motivi, ut vocant, eleëmofynæ, gratitudinis, amicitia. Sed, inquit, Montaltius ad Beneficia & Sacerdotia traduxit. Et hoc non rectè; cum lege condita cautum sit, ne quidquam quocunque titulo, in hac materia detur; itemque in Collatione Ordinum: igitur si datur aliquid, licèt non detur ut pretium, sed alio titulo, non erit quidem Simonia contra jus Divinum, sed contra Ecclesiasticum. Dare tamen aliquid, ad obtinendum Beneficium, conducens, sine alio titulo; licèt de ratione pretii non cogitetur, Simonia est Juris Divini; illud enim, æquivalenter saltem, titulo pretii datur. Accipere aliquid pro Missa, licitum est, quia lege non vetitum: si tamen Sacerdos illam pecuniam sibi vendicet, ut Missæ pretium, sive hoc pretium pro fine sibi proponat, sive quidlibet aliud, haud dubiè veram Simoniam admittit. Hoc ipsum est, quod tenent Jesuitæ. Locus, quem ex tuo Cantore adducis, de pretio agit, cujus expressè meministis. Affingis autem, per intolerabilem calumniam Jesuitis, horribilem illam sententiam; quasi dicant, licitum esse Sacerdoti, omnes spirituales fructus ex Sacrificio provenientes, alteri accepto pretio concedere, seu vendere. Si tuum illud *mentiris impudentissimè*, huc accersam; nullam sanè tibi faciam injuriam, cum insigne mendacium sit.

Ad quæstionem Montaltii de pecunia ab eo accepta, * cui beneficium concesserat, jam ter, aut quater responsum est; primò quidem esse Simoniam contra jus positivum, ut vocant; nam leges hoc vetant: dein-

* Pag. 307.

dè si pactum intercedat, vel expressum, vel tacitum, quo fiat, ut pecunia pro beneficio detur, id est, in pretium beneficii, & resultare præsumatur in accipiente obligatio rependendi, seu beneficium, seu pecuniam, est Simonia contra jus divinum; item si is qui concedit beneficium, intendat obligare alterum ad solvendam pecuniam, aut qui dat primo loco pecuniam, obligare alterum ad cedendum beneficium; est etiam Simonia contra jus divinum. Si verò qui accipit ab alio beneficium, ultrò & volens ab eo motivo impulsus, liberaliter aliquam pecuniæ summam eidem numeret, vel meræ gratitudinis causâ, vel eleemosynæ & piæ donationis titulo, si fortè ille pecuniâ indigeat; item si quis det alteri ex mera liberalitate, ex charitate, ex amicitia, aliquam pecuniæ summam, qua hic moveatur ad resignandum eidem beneficium, modò nulla intercedat ratio pretii, seu venditionis, id est, modò is, qui pecuniam dedit, nullam indè obligationem resultare præsumat in accipiente, resignandi scilicet beneficium, non erit Simonia. Quid ad hæc, mi homo? Horribilem impietatem vocas. Igitur horribilis est impietas, propter Sacrificium Missæ pecuniam dare & accipere, immò longè priori horribilior, cum hoc Sacrosanctum mysterium sit augustius simplici beneficio. Sed inquires, hoc licet; quia Ecclesia permittit. Quali verò Ecclesia impietatem permittere valeat. Iraque manifestum est, hæc à te nesciri; alioquin non adeò ineptè dissereres. Ut enim mitiùs de te loquar, rem hanc Willelme, non capis; quam tamen discere potuisti ab utroque Apologista.

Vis auctores hujus doctrinæ? hi sunt, D. Thom. 2. 2. q. 100. & in 4. d. 25. & quodl. 8. item Alenf. Altisiodor. Antonin. Armach. Summistæ omnes & Canonistæ, quorum multos citat Suar. tom. 1. de relig. lib. 4.

c. 1. n. 9. Item Barbofa in cap. *etsi quaestiones de Simon.*
 Item Sylvester v. *Simonia, §. tertio quaeritur.* Cajetan.
 in summ. v. *Simonia satis fusè.* Sed bonus sum, qui
 hic hæreo, cum potius remittendus sis ad utrumque
 Apologistam: ad primum quidem in post. 2. & in resp.
 ad Epist. 12. ad secundum verò, in respons. ad object.
 13. sed potissimum ad P. Josephum Gibalinum, qui
 ex professo singulari tractatu, rem hanc ita discutit,
 & ineptias vestras refutavit, ut nihil profectò sit,
 quod doctissimi quique in hac materia ultra deside-
 rent. omissis enim Societatis Doctoribus, quamvis
 plurimi sint, ii que doctrina & pietate celeberrimi &
 gravissimi, alios auctores adducit, allatis, collatisque
 eorum locis, initio factò à Petro Lombardo Magi-
 stro Sententiarum; item Canonistas, Romanosque
 Pontifices, ipsius Sorbonæ Decreta; quibus omnibus
 abundè prorsus evincit, nullam unquam Simoniam
 esse, in qua ratio pretii, ac proinde venditionis non
 intercedat: rarum opus, sive rationum pondera, sive
 auctoritatis momenta, sive oppositæ sententiæ refu-
 tationem perpendas. Ad hunc ego te remittendum
 putavi, à quo multa, quæ nescis, discere valeas.

Insulsè demùm sub finem * & plusquam pueriliter,
 in priorem Apologistam declamas, quòd ab Escobar-
 rio ad Lessium controversiam transtulerit, pro eo
 qui contractis nominibus, bonis deinde cedit. Sed ab
 re profectò exostulas Wendrocki; quasi verò doctri-
 nam illam Montaltius Lessio non attribuat. Sed, in-
 quis, Montaltius per se Lessium non protulerat; nam
 Escobarii tantùm locum attulerat, in quo Lessius lau-
 dabatur. Quo usque tandem mentiri non cessabis,
 mendaciorum architecte? ad octavam Epistolam te
 revoco, pagin. 182. *Volve, lege, hoc noster sancivit Les-
 sius, confirmavit Escobarius, &c.* per se igitur Lessium
 huius

* Pag. 328.

hujus doctrinæ auctorem appellasti; Escobarium verò ejusdem confirmatorem. Lessius tamen sententiam suam longè fusiùs & clariùs explicuit: nam Escobarius aliorum Doctorum sensum sæpè supponit, raro explicat. Hujus igitur doctrinæ sensus apud Lessium explorandus est, & discutiendus: quod egregiè præstitit Apologista impost. 3. & in respons. ad Epist. 12. Ad eum te remitto; nisi velis Escobarii Vallisoletò exspectare responsum. Et verò licèt Escobarius ambigùè locutus sit; cum is dicat, se cum Lessio sentire, non alia quàm Lessii, ipsi doctrina imputanda est. Injustè igitur conquereris, quòd Apologistæ doctrinam Lessii de hoc argumento explicuerint; primus quidem citatis locis, alter verò in respons. ad object. 24.

N O T A I I.

De redivibus Ecclesiasticis.

TAm faciliè pronũciare, vel ignorantix, vel imprudentix est; adde malitiam & iniquitatem, cum quis ex odio præcipiti, quo adversùs aliquos abripitur, pronũciat. In hoc, erras statim initio: Vis enim, * certius esse nihil, quàm Ecclesiasticos suorum reddituum dominos non esse: & ex Comitolo, cujus auctoritas nullius ferè momenti est, periculosam illam sententiam vocas, quæ ad omnem licentiam aditum aperiat. Si oppositam probabilem dixisses, utique tolerandus esses, cum pro illa multi auctores scripserint: at ita certam putare, ut aliam periculosam esse velis, & ad omnem licentiam aditum aperientem, hoc reverà sustineri nequit; cum ea pro se gravissimos auctores habeat, quales sunt Sotus, Covarruvias, Adrianus, Corduba, Vasques, Arboreus, Alcozer,

* Pag. 329.

Alcozer, Tabiena, Sarmiento, Simancas, Gerson, Abulensis, Honcala, Turrecremata, Præpositus, Angles, Aragonius, Thomas Sanchez, Molina, Lessius, Lorca, Coninck, Filiutius, quos citat & sequitur De Lugo de just. & jure disp. 4. sect. 1. num. 2. adde torrentem omnium recentiorum, quos hic recensere, longum esset. Omnes tamen isti fatentur, teneri Ecclesiasticum, in usus pios residuum expendere. Probatur autem hæc obligatio, tum ex Trident. sess. 25. cap. 2. de reform. quod prohibet Ecclesiasticis, ne redditus suos, qui Dei sunt, consanguineis donent; tum ex usu Ecclesiæ, quo mens illius clarissimè constat. Quod autem sint Domini, præsertim probatur ex Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. ubi dicitur Ecclesiasticus facere fructus suos; item sess. 23. cap. 1. de reform. item ex Bulla Pii V. quæ incipit *Ex primo*. Illud etiam præsertim movet, quod Ecclesia nullis pœnis eos ad restitutionem adstringat, qui residua in pios usus non expenderunt.

Non nego, sententiam oppositam rationibus etiam suis probari, iisque gravioris momenti; sed quæ illam dumtaxat probabilem, non certam efficiant. Quare, ut eam non damno, sed probabilem reputo; ita neque tu meam damnare debes, utpotè longè probabiliorum. Dixi supra, Comitolum hac in re nullius esse momenti: quippe qui nimio studio, neotericis auctoribus contradicendi, scripserit.

Unum autem præ cæteris, in te displicet, * quod attritionis cum Sacramento conjunctæ beneficium per summum contemptum eleves; cujus scilicet operâ, is ad gratiam redire possit, qui redditus Ecclesiasticos in consanguineos effuderit, idque citra omnem restitutionem, ad quam scilicet non tenetur. At dato, quod teneatur, ejusdem attritionis opera, in Sa-

cramento, ad gratiam redit; cum vera attritio propositum non peccandi, & voluntatem servandi præcepta, atque adeò restituendi complectatur. Tu verò nimiam, ut putas, salutaris remedii facilitatem non probas. O inhumanum hominum genus! qui & Christi mortem pro omnibus oblatam, & sanguinem fufum; & gratiam sufficientem, quæ nemini deest, cum præceptum obligat; & novum Pœnitentiæ Sacramentum, quo Christiani longè faciliùs, quàm olim Judæi peccatorum suorum veniam consequantur; & jugum Christi suavius, onusque levius, redemptis à Christo mortalibus invidetis.

Sed hoc onus superflua distribuendi, Jesuitæ, inquis, *Pensionariis* eximunt: * item docent, ea, quæ stipendii loco accipiuntur, tametsi superfluant, in pauperes necessariò eroganda non esse; * neque id, quod parsimonia congruæ ac debitæ sustentationi subtrahit; neque id quod nonnulli, dignâ sui laboris & industriæ impensæ in regimine Ecclesiæ mercede, supra congruam sustentationem merentur. Cuncta hæc, inquis, sunt nefanda, turpia, sordida, avaritiæ labe polluta, Christo & Ecclesiæ contumeliosa, simonica & nulli probanda, quem aliqua divini ministerii cura & honos tangat. * Heus tu: viden' quid dicas? tam graves, tam sanctos, tam doctos homines his laudibus exornas? Sed, quantumvis ringaris, prædictæ sententiæ sunt probabiles. Nam & pensio est ipsissima applicatio ob causam justam ad aliquem usum; & quod datur stipendii loco, inter redditus Ecclesiasticos non recensetur; & quod portioni sibi debitæ aliquis subtrahit, alteri non debet; omnis demum merces singulari labori & industriæ alicujus debita, eidem ita competit, ut ejus liberæ voluntati relinquatur: præterquàm quòd Doctorum auctoritas,

* Pag. 330. * Pag. 331. * Pag. 332. & usus

& usus in Ecclesia receptus hujusmodi opinionibus aliquod pondus conciliant. Confule Cardinal. De Lugo sect. 3. per totam, qui multos etiam citat.

N O T A I I I.

De Simonia.

ITerum hoc loco *furiosum* illum Apologistam im-
tis: * & primò quidem increpas, quod Epistolam
duodecimam Montaltii dissimulet. Turbatus videris,
Willelme, adeò ut revera nescias, quid dicas. Nam
contra illam duodecimam potissimum agit Apologi-
sta eamque expressè appellat, refutatque pag. 53. &
54. Sed falsò, inquis, Montaltio affingit, quasi divi-
tibus præciperet, ut se etiam statui suo necessariis
spolient, quò periclitantem aliorum statum tuean-
tur; *cujus opinionis*, inquis, *ne vestigium quidem in Mon-*
taltii Epistolis reperias. Itane verò? at Montaltius in ex-
tremis necessitatibus etiam necessaria largienda esse
sensit, ipso ferè initio Epistolæ 12. extremam autem
necessitatem cum urgente & gravi confundit. Tu ip-
se suprâ propter hoc vapulasti ad pag. 325. Porro
Theologi jacturam status aut famæ inter magnas ne-
cessitates recensent. Igitur rectè Apologista per legi-
timum ratiocinium illam vobis opinionem imputa-
vit. Sic enim ratiocinatur: in magnis, urgentibus, ex-
tremis necessitatibus (nam hæc tria apud vos idem
sonant) necessaria sunt largienda; hæc propositio
Montaltii expressa est: sed evidens jacturæ status pe-
riculum, est magna necessitas; ut ferè omnes Theo-
logi dicunt: igitur in evidente jacturæ status pericu-
lo, necessaria largienda sunt.

Ad Simoniam deindè orationem convertis: sed im-

* Pag. 332.

prudens,

prudens, vel ut veriùs dicam, malignè peccas, ut supra. Nam doctus Apologista, quem utinam bene intelligeres, id dumtaxat asserit, nullam esse Simoniam contra jus divinum, sine ratione pretii & venditionis, formaliter scilicet, vel æquivalenter, ut ajunt: æquare autem, vel comparare pretio unum alteri, idem est, quod vendere, vel emere, id est, ita dare unum, ut indante resultet jus ad aliud recipiendum; & consequenter obligatio in accipiente illud ipsum cedendi. Si hæc non capis, mi homo ad forum venalium potiùs, quàm ad Scholam mihi sanè videris esse amandandus.

Nec est, quod timeas, * ne juris humani Simoniam facili negotio Casuistæ amoliantur, vel leges contra eam latæ desuetudine abrogentur. Ne sis quæso sollicitus: quid tuâ interest? Romani Pontifices non modò leges ab Antecessoribus super hac re conditas sæpè renovant, sed etiam novas condunt. Quod verò dicis, nihil vulgarius esse; quàm ut Episcopi Sacerdotia conferant, ob præstitam ipsis gratuitam operam, quod Simoniacum esse contendis; reverà Illustrissimo Prælatorum Ordini injuriosum est: ac proinde dignus es, in quem ipsi severiùs animadvertant. Quasi verò jura expressa non sint, quæ ab Apologista citantur. At inquis, Apologista docet, pœnas contra Simoniacos latas, in eam dumtaxat Simoniam cadere, quæ est juris divini; quæ cum rarò accidat, frustra essent tot Conciliorum Decreta, contra Simoniacos edita. Imponis Apologistæ, qui tantummodò refert opinionem aliquot Theologorum, qui docent, pœnas per aliquod Decretum verbis generalibus expressum Simonix impositas, ad Simoniam juris divini, quæ propriè Simonia est, contrahendas esse; non verò ad aliam, quæ est juris Ecclesiastici, extendi. Hæc est

* Pag. 333,

est

est opinio, quam merè recitat, per modum exempli, seu comparationis; non tamen illam suo calculo donat: nec in exemplis & comparationibus veritas requiritur, sed mera analogia.

Scit autem Apologista, multa jura esse, in quibus expressè nonnulla Simonix pœnis subjiciuntur, quæ alioquin citra prohibitionem, & nisi exprimerentur illicita non essent. Apologistæ sententia doctrinæ Suarez omnino consentit *tract. de Simon. cap. 55. n. 19.* Nam, inquit, generalis est regula, pœnas maximè cadere in Simoniam juris divini: nihilominus talia esse possunt verba legis, ut puniant aliquam Simoniam juris Ecclesiastici, licèt minus propriè Simonia sit, id est, sit Simonia quia prohibita, non prohibita quia Simonia. Faceret denique Deus immortalis, ut Simonia rarior esset! fatius enim est, frustrà esse legem, quam contra legem peccari. Id desiderandum quidem, sed vix sperandum; etiam in tua Gallia Wilhelme, in qua hoc vitium tam altas radices egit. Audio enim in aliquot Provinciis Simoniacæ pacta impunè palàm iniri: pacta, inquam, pecuniaria pro beneficio. At nullum pactum pecuniarium, in hac materia, *suriosus* ille tuus Apologista à Simonia liberat. Per te mihi liceat unum sciscitari: utrùm cedere, aut conferre alicui Sacerdotium, ea lege, ut errores Jansenii defendat, & contra Jesuitas & Casuistas famosos libellos scribat, Simonix tribuendum sit? nunquid enim non est temporale pro spirituali, temporale, inquam, non humanum, sed diabolicum?

Afferis deinde, omnibus Decretis, & legibus Ecclesiasticis vetari, ne quocunq̃ modo, vel titulo, pecunia accipiatur, etiamsi non detur ut pretium. Ut hoc probes, quinque loca producis; in quibus tantummodò agitur de ordinandis Presbyteris, Diaconis

nis, Clericis, vel consecrandis Episcopis. * At, ni fallor, in materia beneficiali, Apologista versatur. Præterea ex iis dumtaxat habetur, in Ordinatione, commoda, id est, lucra, Simoniaca scilicet, fugienda esse; Episcopatum, Presbyteratum, Diaconatum per pecunias non esse obtinendos; nec pro iis præmium offerendum; sine cautione Ordinationem peragendam. Cuncta hæc pretium denotant. Non difficile tamen esse aliqua jura, quibus pro obtinendo beneficio, aliquid quovis modo dari prohibetur; & nisi adsit alius titulus honestus, eo ipso, quod datur aliquid, ad beneficium obtinendum, ut pretium dari censetur. Sed hæc ad Apologistam nihil faciunt, qui omne pactum excludit, & re primùm accepta, ex mera deinde gratitudine, vel alio titulo honesto, beneficium conferri supponit, præscindendo ab omni lege humana. Accusas denique Simoniam illum, qui pecuniam promittit sine intentione solvendi. Sed multi dicunt, non esse Simoniam, te, haud dubiè, longè doctiores, ut Cajet. tom. 2. Opusc. tract. 9. q. 2. Sot. lib. 9. q. 8. art. 1. Tolet. in Summ. lib. 5. c. 90. n. 4. Petr. Navarr. lib. 2. de rest. n. 411. Suar. tract. de Simon. cap. 42. n. 5. Nempe ille, qui fingit, non habet voluntatem emendi; igitur nec Simoniam Mentalem ut vocant, sola mente conceptam, igitur nec eam, quam dicunt Conventionalem seu pacto firmatam, quæ Mentalem supponit: alter verò qui non fictè promittit, Mentalem habet. At ridiculus es, cum dicas, eum, qui pecuniam fictè promittit, per pecuniam ad Sacerdotium pervenire. Quomodò per pecuniam, si nulla pecunia intercedit? Quod dicis, corrumpi Judicem, per promissum falsum; itemque illum, à quo, qui fictè promittit, accipit deinde Sacerdotium: utrumque verum est; sed non est Simonia; quia non obti-

obtinetur beneficium per pecuniam, sed per promissum falsum. Prohibet demùm Concilium Melphitane quis dato vel promisso Episcopalem dignitatem assequitur. Promisso scilicet vero, non falso & ficto. Non tamen negabit quispiam, quin ille, qui fictè promittit, graviter delinquat, & mendacium sacrilegum cum maxima irreverentia committat. Nihil enim obstat, quò minùs peccatum sit, & Simonia non sit. Fuit aliquando, qui dixerit, non neminem inter Casuistas, quod paulò laxior esset, esse agnum, qui tollit peccata mundi. Id per jocum dictum fuit. Ausim tamen seriò dicere, ita vos hominum generi esse infensos, ut longè plura, quàm re ipsâ sint, peccata esse velitis, licèt communem omnium obstinatè negetis Servatorem. Hinc Diaboli partes agitis, cui maximam hominum partem à communi redemptione rejectam devovistis. Hinc non grassatorum modò & sicariorum, quod justo joco Apologista vobis exprobravit, sed ipsius Diaboli sicariorum principis insignes patronos agitis.

In Epistol. decimam tertiam,

NOTA VNICA.

De Homicidio.

TAnti est impudentem esse, * & frontem omnino posuisse; fabulam alapæ Compendii à Jesuita quodam impactæ, quam pro vera historia scurra tuus in solita famosarum literarum scena exhibuerat, tota Gallia cognovit: Apologista, illius narrationis falsitatem, adductis etiam testibus omni

* Pag. 278.

exceptione majoribus in respons. ad 13. Epistol. demonstrat; rem deinde Montaltius convertit in jocum, suo more ludens circa alapam averfa, vel ad-versa manu inflictam; iterum eandem fabulam sub aspectum reducis. Tanti est, ut dixi, impudentem esse & Jansenistam; huic enim hominum generi solemne est, dictorum nunquam poenitere. Sed falsa esse constat, erronea, hæretica; nihil refert; semel dicta, nunquam revocanda. sic tam obstinatè damnatas propositiones defenditis, negativisque pervicaciter, Jansenii esse, vel in ejus sensu damnatas: standum in decretis. Sed iniqua sunt, impia, blasphema. Quid tum? constantia, angelica virtus est, sed obstinatio, vitium diabolicum. * Tum cavillaris ineptè in re aperta. Nempe Annatus calumniam Lessio à Montaltio affictam tam clarè demonstravit à pag. 1. ad 8. *Janseniane fidei*, ut à nullo, qui vel legere sciat, negari possit. Nempe id attribuerat Lessio, quod expressè negat; verba Victoriæ pro verbis Lessii, sententiam Petri Navarrae pro sententia Lessii impudentissimè proposuerat. Quis enim dicat, aliquam opinionem illius auctoris esse, qui expressè negat, eam in praxi tutam? Præterea Montaltius ea, quæ Gallicè scripsit, Lessio imputavit, licèt ea Lessii non sint; sed ne jam dicta repetam, te ad Annatum remitto; item ad Apologistam impost. 4. & in respons. ad 13. epist. ubi etiam rem hanc egregiè discussit, Montaltium planè convicit, & reluctantem licèt, omnino prostravit.

Pergis deinde, nec ab eo, quem semel inivisti, calumniæ tramite unquam discedis. Dixerat Apologista impost. 19. nullum unquam, vel Theologum, vel Casuistam docuisse, propter simplices maledicentias, vel obtrectiones, licèt hominem occidi posse; tu verò simplicem maledicentiam in calumniam, quan-

* Pag. 351.

tumvis atrocem vertisti; & hinc Gallicæ linguæ peritos appellas. Præterea quis nescit, voce illa *simple*, rem ipsam extenuari, ac significari exile quodpiam & leve? sic auctor per illud, quod habet, *simples mesdisances*, nihil aliud intelligit; & qui Gallicè sciunt, nihil aliud intelligent, nisi leves obtreccionem: quantum autem calumnia, præsertim si atrox est, levem quampiam obtreccionem superet, non est profectò quod dicam; cum res ipsa lippis & tonsoribus nota sit. at utrumque, dictum illud Apologistæ excludit; nam vox illa *mesdisance*, id est, obtreccio, calumniam arcet, & falsam criminationem, & adjunctum illud epithetum *simple*, id est levis, simplex, atrocem maledicentiam excipit. Hic tamen ineptiam, absurditatem, & ridiculam Apologistæ argutiam rides, & intolerandam vocas: hoc mihi facile persuaderet, te reverà Gallum non esse, sed Teutonem, aut Noricum, ut fingis; cum Gallicæ linguæ tam ignarum esse te videam; quis enim, qui vel mediocriter illam calleat, dum illud, de quo agitur, *simples mesdisances*, vel legit, vel audit, leves obtreccionem illicò non intelligit? tu verò obtreccionem in calumniam, & levem in atrocem vertis, ut vel inde potius Gallicum illud dictum penitus evertisse, quam fideliter vertisse videaris, calumniam in calumniâ struxisti: tibi adedò familiaris est, ut eam in oculis geras, eamque propterea videas, ubi non est. Hæc, inquam, mihi persuaderent, te Germanum esse, ut in fronte libri mentiris; sed quantum à candore Germanico absis, & quantum atro Regio-portuensium veneno imbutus sis, quisquis legit tuas illas notas, facile intelligit. Sed hæc sunt levia, ut dicis; ad majora orationem convertis.

Franciscus Amicus Jesuita, inquis, * docuit, ac

* *Apag. 352. ad 357.*

typis

typis mandavit, honorem proprium, scilicet verum, qui ex virtute, & sapientia nascitur, à Clericis & Religiosis, cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam cum morte invaloris defendi posse; quamvis deinde erroneam illam doctrinam palliare conetur: hæc supremum Brabantiæ Concilium tolli jussit, & mandato hæctenùs obtemperatum; licèt fundamentum, cui hæc doctrina innititur, sublatum non sit, & liberum adhuc Laïcis relictum, proprium honorem defendere: item jussum expungi, quod dicit, licitum esse, hæredi, vel legatario contra injustè impediendum, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se defendere, &c. Utrumque Lovaniensis Academia damnavit: Præterea Caramuël à quodam Jesuitâ super hac doctrinâ interrogatus respondit, illam sibi probabilissimam videri: nec mirum, cum eum Jesuita insanis laudibus ad se allicuisset. Pro eadem doctrinâ, Jesuitæ varios auctores citant; Duvallium, Banesium, ipsumque aded Cardinalem Richelium; quod risum multorum concitavit: Nec juvat, pueriles illas de praxi & speculatione cavillationes, quæ risum etiam movent, adducere; cum reverà ad excusandas cædes adhiberi non possint; ridiculum enim & nefandum est, cædes vel in speculatione permittere. Hæc summa illorum est, quæ in hac notâ, quinque paragraphis complecteris. Omitto enim illum pellicis casum, quem ex Caramuële exscribere non es veritus. Hæc te mirificè delectant Willelme, porcina indolis homo, cui fæces & sordes placent. De cacodæmone idem fertur, quem jure ob id immundum spiritum vocant; cui cum in obstinato animo similis esses, in amore immunditiæ adhuc similis esse voluisti.

Quod pertinet ad doctrinam, quam Amico affin-

gis, eam minimè defendendam suscepi. Id unum dumtaxat repono: Amico illam affingi, à te quidem, per insignem malitiam, ab aliis verò quibusdam per summam imprudentiam, vel incogitantiam. Hoc certè Amicus non asserit, sed opponit. Ubi enim dixisset *tom. 5. disp. 36. sect. 7 num. 118.* licitum esse Clerico & Religioso, defendere honorem illum verum, qui ex virtute & sapientia nascitur; statim hoc sibi opponit; ergo, inquit, hunc honorem poterunt defendere, cum moderamine inculpatae tutelæ, etiam cum morte infaustoris, si opus sit. Hæc fanè difficultas molesta illi videtur. Vellem saltem eam solvisses Willelme. Deinde tamen hæc subnectit, non fictè ad palliandum errorem, ut temerè dicis, sed ingenuè ad suæ sententiæ declarationem: *nolo hæc ita sint dicta, ut communi sententiæ adversentur, sed solum disputandi gratia, maturo iudicio relicto penes prudentem lectorem.* Communi ergo sententiæ adhæret; igitur alteram minimè approbat, quæ communi sententiæ adversatur. Nec obstat, quod in *syllabo disputationum & sectionum* duos auctores pro prædicta doctrina adduxerit, scilicet Petrum Navarram & Sayrum. Hoc enim dissimulare non debuit, cum ante dixisset à se non esse lectam apud ullum auctorem. Si deinde apud aliquos invénit; quod id liberè significarit, vitio verti non debet, sed hominis ingenuitas potiùs laudanda.

Subnectis deinde longam Historiam de Censura Lovaniensium, & de Supremi Brabantia Concilii Decreto. Quænam porrò illi fides debeat, est quòd ambigi posset; cum eandem à Doctore Lovaniensi, nimirum Janseniano, accepisse fatearis. Sed quorsum placuit eam tam prolixè referre? Nempè ut omnibus palàm esset, quanta vos inter & Lovanienses Jansenianos jam pridem intercesserit communicatio; & quanti

quanti facias quinque vel sex Doctorum Jansenianorum censuram, & Concilii sæcularis Decretum, adversus unum è Jesuitis. At dic candidè, amabò, ecquid causæ fuerit, quare nullam feceris mentionem Decreti Romani, 6. Julii anno 1655. à Sacrà Indicis, ut vocant, Congregatione editi, quo non omnia quæ Lovanienses & Concilium illud proscripserant, jubentur expungi? nullam quoque suspensionis censurarum in Generali Congregatione S. Officii postridie factæ? Cur hæc omisisti, quæ vel non ignorabas, vel facilè scire poteras? Quia nimirum sæculari Concilio & paucis Doctoribus Jansenio impensè addictis plus longè deferendum statuisti, quàm Romano Pontifici, Institutisque ab eo Cardinalium Congregationibus, quas immortali odio prosequeris, quia minùs propitias probasti. Sed profectò, si quid in vestrà causâ à Romanis peccatum est; non nimio rigori, & iniquo judicio, sed mitiori potiùs indulgentiæ, quâ tamen abuti potiùs quàm uti voluistis, tribuendum. Equidem sæcularis Concilii est, leges indemnes servare atque tueri: at de doctrinâ ad Religionem & vitam Christiano ritu instituendam spectante, judicare ac Decreta sua publicare, ad Laicos minimè pertinet. Hinc nonnulli mirari satis non potuerunt, quòd prædictum Concilium, Decretum Pontificium, in quo Litteræ tui Montaltii damnabantur, ab Ill.^{mo} Archiepiscopo publicatum, refigi jussit. Doctores item Lovanienses in Scholis rein Moralem & Theologicam discutere ac censere possunt: at eos ita censuram suam interponere, inconsultâ Romanâ Ecclesiâ, ut Morales controversias definire & legem aliis præscribere videantur; nemo prudens approbarit. Porro cùm censuram hujus Academiæ, & supremi hujus Concilii decretum tanti facias; cur doctrinam illam Amici

de honore à Laicis hominibus defenso, ut nefandam & impiam damnas, quam tamen illa vestra Academia, accuratè licet, & oculo inimico, ut ajunt, recognitam & examinatam, ab omni censura liberam reliquit? Nam æquè facilè integra sectio septima, ac ultima illius clausula expungi potuisset. Idem etiam de Romana Congregatione dictum sit, Unde rectè, ni fallor, deduco, illam non adeò impiam & nefandam esse, ut dicis: de quo infra liberior erit tecum agendi locus.

Ad ea, quæ de Illustrissimo Caramuële subnectis, nihil ferè est, quod reponam. Stylum ipse habet satis exactum, quo se defendat: sublime ingenium non deest, cujus sanè eximia specimina edidit. Hæc tamen non dico, quasi omnes illius morales sententias amplectar. Is revera est, qui sua commenta exponat, non tamen legem cuiquam imponat ea defendendi. Jesuitis tam acriter identidem succenses, quod de Jansenio, cum is Episcopus esset, paulò duriùs scripserint; cujus tamen doctrina à S. Sede, ut hæretica damnata est. Tu verò Caramuëlem, quantumvis Episcopum, & nunquam à S. Sede damnatum perinde insectaris, atque si tetrum aliquod ulcus esset, ex quo nihil nisi tûrpe, corruptum & virulentum erumpat. Immò in Jesuitam Zergolium satis inurbanè insultas, quòd Caramuëlis ingenio nonnihil laudis asperferit. Grande profectò scelus huic homini exprobras. Quasi verò hominem ingeniosum laudare, modò id putidè non fiat, piaculum sit. Id reverà vobis solemne est, ut aliorum, qui à vestris partibus non stant, laudes nullatenùs ferre possitis. Hinc si quis Jesuita nonnihil lucubretur; vel deprimitis, ut publicâ & privatâ luce indignum; aut reverà, si res non laudari non possit, plagii auctorem, quantumvis inno-

innocentissimum, accusatis, eaque manuscripta fingitis; quæ ipse, si superis placet, compilârit. Hinc si Gregorius à S. Vincentio Geometrica edidit, furatus est Cavalerio; si Lalovera, vel alius, Robervallo; atque ita de cæteris.

Omitto narrationem illam turpissimam meretricis & monachi, quam ex Caramuële subnectis. Nihil apud Amicum simile habes: nec Doctorem illum S. Theologiæ, magni ingenii & doctrinæ virum, quem Caramuël appellat, Jesuitam esse dicit, & quamvis ipse diceret, nunquam profectò adduci possem, ut crederem. Sed mittamus istas fæces, quas perpetuò versas, ut vel inde mortalium fæculentissimus esse videaris. Ingratum etiam tibi accidit, quòd pro prædictâ doctrinâ, quam nonnulli Amico perperam imposuerunt, alii Doctores citentur ab Apologista, scilicet Duvallius, Bannesius, Cardinalis Richelius, de quo ultimo cum urbanis hominibus rides, scilicet cum Regio-portuensibus. Nihil sanè attinet dicere, cur Richelio adeò infensi hæctenus fueritis, qui Sancygiranum vestrum pro meritis exceptit. Utinam diutius vixisset! nunquam enim Janseniana hæresis in lucem venisset. Vis fortè alios auctores? en tibi Petrum de Navarra lib. 2. de rest. c. 3. n. 171. Sayrum lib. 6. de cens. c. 17. n. 23. Sancium in select. disp. 46. n. 8. Henricum Stroverdoff. 2. 2. q. 64. a. 7. concl. 5. Dianam 5. p. tract. 4. resol. 9. qui citat Sotum, Salonium, Aragonium, Navarrum. Adde Michaëlem Zanardum in direct. de homicid. c. 2. Cajetanum in Summ. v. homicid. & 2. 2. q. 64. a. 7. Marcum Serra 2. 2. q. 64. d. 1. Ludovic. Lopez 1. p. Instr. c. 65. cum Armillâ. Sed frustra auctores adduco, quos nihili facias, quamvis Jesuitæ non sint; nullum autem Jesuitam appello, quia nullum invenio, qui hanc doctrinam doceat.

Irrides denique vulgarem illam distinctionem, de speculatione & praxi; quam reverà nemo usurpat ad excusandam cædem injustam, sed eam dumtaxat, quæ justa probabiliter esse videatur. Sed quamvis probabilem esse dicant hujus doctrinæ auctores, quos ego non sequor, quia tamen non est certum, probabilem esse, ideò in praxi tuta non est, eo modo, quo supra explicatum est: quem reverà si capias, alia responsione non indiges. nec ullum, ut ais, * hujus distinctionis periculum est. cùm enim in sola praxi periculum esse queat, & cùm praxim prohibeant & damnent, omne periculum facile avertunt. nec tantùm agitur de removendis quibusdam circumstantiis, sed de re ipsâ, quæ certò tuta esse non videtur, ac proindè dubiam conscientiam relinquit. Sed de hoc argumento, quantum satis, suprâ egimus; tu vide sis.

* Pag. 351.

N O T Æ

In Epist. decimamquartam,

S I V E

Dissertatio Theologica de Homicidio,

S E C T I O I.

*Præstruuntur principia ad hanc tractationem necessaria, ex quibus certa regula fitur, & consuetaria colliguntur. **

UT contrà cruenta, inquis, Jesuitarum dogmata, hic pugnes, Parochi Parisienses tibi arma suppeditant: totam lucern, ais, ex eorum eruditissimis lucubrationibus mutuaris, ad refellendas

* Pag. 374.

Casui-

Casuistarum corruptelas. Arma omninò appositè illi suppeditant, qui convitiis, calumniis, aculeis, ferro ac veneno instructi armatiq̃ue prodiere: & lucem ex iis tenebris elicies, non quasi ex astro benigno, sed velut ex funesto tristiciq̃ue cometa. Gratulor, quòd eruditissimos appelles, convitiando scilicet & calumniando. Nec mirum: quid enim aliud præter calumnias, errores, insulosq̃ue sales, ex illa vestra Regioportuensi officina unquam prodiit?

His præmissis, primum statim principium, quasi ex tripode, pronuncias: scilicet ex primo illo Adami peccato, naturam humanam læsam & corruptam fuisse, tum in corpore, tum in animo; tum in intellectu per ignorantiam, tum in voluntate per concupiscentiam & propensionem ad bona sensibilia. Quis hoc negat? sed vereor, ne aliquid aliud velis; utramque scilicet peccatum esse; errantem etiam invincibiliter, peccare; peccandi necessitatem voluntati læsæ inductam, ac proinde amissam libertatem; non inanem illam & commentitiam, quam cum agendi necessitate ineptè componitis; sed illam veram indifferentiæ, ut vocant, quam ad merendum & demerendum necessariam esse, Ecclesia definivit.

Quod verò subnectis, voluntatem corruptiorem fuisse, quam intellectum; gratis omnino adstruis. Quod eo fine non dico, quasi ad rem pertineat, sed ut vel inde Janseniana temeritas innotescat, & vesana libido quidlibet audendi ac temerè adstruendi. Quòd autem dicis, humanum intellectum magis cæcutire in discernenda boni ac mali ratione, scilicet naturalis, quàm in divinis mysteriis capiendis; * non modò à veritate, sed à Fide alienum est. Nempe licèt mens hominis, humanis etiam scientiis illustrata, in discernendis bonis & malis aliquando erret, ut

* Pag. 375.

plu-

plurimum tamen nativo lumine, doctrinâ & rectâ
 educatione munito, bonum à malo discernit. Hinc
 tam sanctæ Gentilium leges, quas etiam Christiani
 Principes adhibuerunt. In nonnullis, fateor, quæ
 præsertim à jure positivo Divino fuerant præscripta,
 illi turpiter hallucinati sunt; in aliis tamen, ut plu-
 rimum, de morali virtute rectè senserunt. Hinc
 Doctor Angelicus, immò docti omnes moralem
 Aristotelis scientiam tanti fecerunt, ut eam, ringen-
 te licèt Jansenio, sequuti sint. Sic furtum, adulte-
 rium, sacrilegium, injustum homicidium, aliasque
 actiones injustas, omninò damnarunt. Quod demùm
 intellectus, humana duntaxat ratione fretus, sacro-
 sanctum Trinitatis mysterium, vel Divinæ Incarna-
 tionis, vel Eucharisticæ transsubstantiationis, faci-
 liùs capere valeat, quàm malitiam furti, vel adul-
 terii, vel injusti homicidii; non facilè invenies,
 quibus persuadeas: immò, ut dixi, à Fide alienum
 esse videtur. Quis enim neget, nativo lumine cognos-
 ci posse, furtum, vel adulterium, malum esse; cum
 tamen ad res divinæ Fidei credendas, nativum lu-
 men assurgere nequeat?

Sed cur, amabò, rationis & nativi luminis usum,
 quod Deus nobis impressit, tantoperè deprimis?
 est qui se nequiter humiliet Willelme. Fateor, divi-
 ni luminis appulsum necessarium esse, tum ad ea cre-
 denda, quæ Deus revelavit, tum ad illa facienda,
 quæ ad salutem conducant: Sed nego, nullam actio-
 nem honestam fieri posse, naturali scilicet bonitate,
 humanis viribus: nego, hominis rationem caligare
 semper & cæcutire: nego, illius usum abigendum ef-
 se: nego interiori dumtaxat spiritui, immissoque in-
 stinctui credendum. Hi sunt errores vestri, Willelme,
 damnati scilicet in Calvino & Baio; quos ex illo tuo prin-

prin-

principio deducis. Sed inquis: cœleste lumen nostræ rationi præferre debemus. Ita est; nemo Christianus id negat. Sed unde nobis affulgebit? A sacra Scriptura, inquis, & Traditione*. O nequam! ubi Ecclesia? ubi Concilia? ubi S. Sedes? ubi Romanorum Pontificum Constitutiones in doctrinâ Morum & Fidei? ubi communis Doctorum Catholicorum consensus? ubi divina inspiratio rectè probata? Præterea Scriptura in multis mihi dubia est: quis eam mihi explicabit? Idem de Traditione dictum sit, & interiori inspiratione. Tunc inquires, consulenda est Ecclesia. Utinam hoc dicas. Sed quænam Ecclesia? Sacra Concilia, inquires, & Canones ab iis relictî. Sed si dubitem, utrùm aliquis Canon receptus sit, vel desuetudine abrogatus; nemo enim neget, id fieri posse; alioquin sanguinem comedere homini non liceret: si dubitem, utrùm Canon aliquis Concilii Meldensis v. g. vel Matisconensis, universos Christi fideles obliget; quid agendum? Consulenda fortè aliqua Academia. Rectè; sed privati Doctores sunt, qui certè exponere possunt, quid ipsi sentiant, non tamen rem definire. Consulendus Episcopus. Optimè: sed tamen errare potest; myriades Episcoporum, præteritis sæculis, hæreticorum recensere possem. Concilium fortè convocandum? sed rem difficilem postulas. Deinde, quâ auctoritate, nisi Romani Pontificis? igitur satius & facilius esset, consulere Romanum Pontificem in dubiis morum & Fidei, qui rem maturè discussam, vel definiat, si sufficiens Scripturarum, sacre Traditionis, ac perpetui usus Ecclesiæ, lumen affulgeat; vel utramque partem liberam relinquat, si definiendi sufficiens ratio non suppetat: neque hæc discussio sufficeret, quantumvis summâ diligentia adhibitâ, nisi promissa Spiritus sancti assistentia,

* Pag. 376.

stentia, ut vocant, Romano Pontifici adesset in iis, quæ toti Ecclesiæ proponit, ad doctrinam morum & Fidei pertinentia; quâ fit, ut errare non possit.

Ex his porrò deduco, quid in dubiis morum controversiis, fieri debeat; deduco, inquam, Catholico, non Ianseniano more. Hinc si alicujus doctrinæ usus sit à gravibus Doctoribus probatus, fundatus in probabili ratione, nec evidenter oppositus communi Ecclesiæ sensui, immò publicè, tum in libris ritè approbatis, tum in Catholicorum scholis & pulpitis expositus & defensus, annuente Ecclesia; quis neget, prædictum usum licitum esse? quis ferat Iansenistam quempiam contra illum atrocissimè declamantem? Sed pergo ulteriùs. si quis de Romano Pontifice dubitaret; nunquid statim ad calculum legitimæ electionis mittendus esset? quis autem legitimam electionem censet, nisi ratio communi Electorum nixa consensu, quem communis deindè totiùs Ecclesiæ consensus consequitur? Immò in re divinæ Fidei, quò tandem res reducitur? loquenti Deo, & aliquid revelanti credendum esse, nemo nescit, & quivis supponit: hoc autem vel illud reipsa revelatum esse, multa persuadent: v. g. Ecclesiæ proponentis auctoritas, sanctitas Doctorum, & piorum attestatio, miracula, communis traditio. Ex his evidenter judico, illud ipsum esse credibile: & hinc ratio judicat, me prudenter facturum, si credam; imprudenter verò, si detrectem fidem. Viden', quò res ipsa deducatur Willelme? disce igitur (si tamen discendo est, indocilis & pertinax hæreticus) rationem humanam divinâ gratiâ adjutam, non adeò deprimendam esse. Sentio, quid vos movet. nulla humana actio seorsim à divinâ gratiâ, culpâ, vel errore vacat, ut dicitis; nulla ignorantia, nullus error, quantum-

vis invincibilis, excusat. Erratis miseri, impii blasphematis; qui Deo tantam impietatem affingitis. Accedit quòd rationem ipsam timetis, quâ errores vestri refelluntur. quid mirum ergo, si contra Iudicem illum insanè declametis, qui vos doctrinamque vestram jure damnavit.

* Alterum principium à te allatum erroneum est: scilicet, sensum Scripturarum, in doctrinâ morum & Fidei, ex Traditione petendum; * solâ videlicet; sic enim intelligis; alioquin nihil concluderes. Immo per insignem malitiam affers nonnulla ex Innocentio I. Gregorio VII. Petro Damiano, Concil. 8. Constantinopolitano, item Lemovicensi 2. Quibus locis Ianseniani Schismatici, perperam licet, probare conantur, Romanum Pontificem novas leges, aut Constitutiones ferre non posse. Sic nullum lapidem non movetis, ut damnationem vestram eludatis: sed, vel Catholicum nomen renuntiandum, vel Sanctæ Sedis auctoritas admittenda. Fateor equidem, Traditiones Apostolicas tenendas esse, de quibus scilicet, iis locis expressè agitur: hoc tamen non vetat, quin controversias, in doctrinâ morum & Fidei, Romanus Pontifex jure definiat, & Scripturarum præsertim verum & legitimum sensum declaret. Ad Traditionem confugis. Sed, si hæc dubia? ad interpretationem Patrum. Sed si hæc obscura, aut varia? In hoc reverà larvam ponis, aperti que hæretici personam sustines. Sic Calvinistæ ad Scripturam semper appellant; nec etiam Traditionem, cujus expressa mentio fiat, quatuor aut quinque primis sæculis, recusabunt. Quàm bellè igitur inter vos convenit. At si causa dubia manet; quid opus facto? an hæc ad Ecclesiam referenda? Romanus Pontifex consulendus? Doctores Catholici adeundi? nihil minus. Ad spiritum

ritum internum cordis nos remittis, ut supra ostensum est. Quàm bellè Calvinizas, Willelme! nimum te prodis.

His præmissis, erroneis scilicet, ac proinde infirmis principiis, causam aggredieris *. Et, cum recentior Apologista dixisset, generali præcepto injustum homicidium prohiberi, ac jure naturali esse illicitum, & negasset ullum Scripturæ locum allegari posse, quo Deus expressè vetuerit, ne grassatores, qui vitam & res nostras impetunt, occiderentur; ac proinde recto naturalis rationis judicio discerni posse justum homicidium ab injusto, licitum ab illicito; immò antequàm Scriptura ulla hominibus à Deo tradita esset, nativi luminis virtute, homines agnovisse, homicidium sinè justa causa patratum illicitum esse; fieri tamen posse, ut licitum esset, vel auctoritate publicâ, in pœnam scelerum admissorum, vel privatâ, ad vim injustè illatam vi, cum moderamine justæ tutelæ, repellendam: cum hæc, inquam, Apologista nitidè ac doctè explicasset; illum refutare conaris. Sed, quàm miserè & ridiculè; faciam modò intelligas, nisi tamen sis ut equus & mulus, quibus non est intellectus. Dicis enim, unum hunc locum sufficere, ad omnia Dei præcepta delenda: nempe Deus generali lege vetat adulterium, *non moechaberis*; utique si sine causa fiat, inquiet aliquis: vetat idololatriam, *non facies tibi sculptile ut adores illud*; at si legitima causa intercedat, v. g. metus mortis, thura idolis adolere licebit; quod certè à Jesuitis apud Sinas, ut refert Hurtado, traditum fuit: idem de calumnia & falso testimonio. Hæc scribis & blateras.

Siste gradum Willelme: nam antequàm ulterius progrediaris; malitia, vel ignorantia tua castiganda est. An ignoras, mortalium nequissime, adulterium

* Pag. 377.

nunquam licitum esse? ac proinde frustra obtendi legitimam causam? Idem dico de idololatria, mendacio, aliisque similibus. At homicidium non semper illicitum est; actio scilicet illa, quâ vita homini eripitur; alioquin nullâ humanâ lege, nullâ auctoritate, etiam publicâ, licitum esse posset. Sic nulla lex, nulla auctoritas adulterium licitum reddit. Idem de idololatria & mendacio dictum sit. Vides igitur, quàm dissimilis sit ratio. Cùm ergò aliqua causa homicidium aliquando culpâ liberet; quis neget, à sapientibus disquiri posse, quænam sint causæ legitimæ; quibus actio illa, quâ vita homini eripitur, licita reddatur? Disquirunt porrò illas causas, adhibitâ rationis & ratiocinii operâ, quâ consulunt primo loco Scripturam, tum sacros Canones, Jura Canonica & Civilia, responsa Sapientum, usum Ecclesiæ, Doctorum sensum, tum etiam principia Theologica & Moralia ab omnibus Catholicis passim recepta. Ex his autem deducunt, actionem illam illicitam non esse, si vel auctoritate publicâ, vel moderamine inculpatæ tutelæ nitatur: primum quidem in pœnam criminum; alterum autem, ad vim vi repellendam. Vis autem inferri potest vitæ, fortunis, pudicitia, membris, parentibus, sociis, amicis, honori, &c.

Quod autem vitam defendere liceat, & pro eâ defendendâ, cum prædicto moderamine, injustum aggressorem, si opus sit, occidere; omnes auctores Morales & Scholastici censent, cum S. Thomâ 2. 2. qu. 64. art. 7. si paucos aliquot excipias, scilicet Accursium, Augustinum de Ancona, Gersonem &c. qui tamen à torrente aliorum obruuntur. Frustrâ eorum nomina congererem: tu vide sis, apud de Lugo de *Justitia & jure disp. 10. sect. 6. Lessium lib. 2. c. 9. dub. 8. Vasquez tract. de restit. cap. 2. §. 1. Molinam disp. 11.*

Et

Et verò vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura permittunt, ut ait Alexand. III. *c. si verò, de sentent. excommunic.* & Innocent III. *c. significasti 2. de homicidio.* Quod autem præter vitam, defendere quis possit membra sua, ne mutiletur, iidem auctores concedunt. Sic Pater defendere potest vitam & membra filii, & vicissim filius Patris, famulus Heri, amicus amici, &c. immò aliquando ad id tenetur.

Præterea omnes communiter censent, si paucos excipias, posse quemlibet defendere facultates suas, vel Patris, vel Heri, &c. etiam cum morte furis, si aliter servari, aut recuperari non possint, & res notabilis momenti id postulet. Frustra citarem pro hac sententia Cajetan. Sot. Navarr. Molin. Less. Vasq. citatos à Cardinali De Lugo sect. 9. adde S. Antoninum, Sylvestrum, Medinam, puta omnes; si quatuor, vel quinque excipias, qui auctoritatis pondere aliis facile cedunt. Idem probatur ex cap. *interfecisti. De homicidio. Te tuaque liberando*, inquit, non collectivè, ut Jansenistæ insulsè interpretantur, quod vel ridiculum dictu est, sed distributivè, ut ajunt. Vide alia jura apud Less. dub. 2. Vix ullum auctorem invenio, ex innumeris ferè, qui de hoc argumento scripserunt, cujus calculo hæc sententia non donetur. Pro defensione honoris, scilicet veri, & pudicitiae, injustum aggressorem cum eodem moderamine occidi posse, communiter Doctores docent; ut testatur Cardinalis De Lugo sect. 10. Vasquez *c. 2. §. 1. Less. dub. 12.* adde Sylvestrum *v. bellum 2. q. 2. & v. Homicid. 2. q. 2.* Sotum *lib. 5. de just. q. 1. art. 8.* Navarr. *in sum. c. 15. n. 4.* Toler. *l. 5. c. 6.* Sa *v. Homicid. Valent. 2. 2. disp. 5. q. 8.* Rebell. *l. 3. q. 12.* Petr. Navarr. *l. 2. c. 3. n. 369.* Cajetan. *in sum. v. Homicid. Notabis*, inquit, *verba Ambrosii, quæ universaliter de injuria loquuntur*: denique præter

Tanne-

Tannerum & Sylvium, vix scio ullum Theologum, qui idem non sentiat, scilicet pro Laicis; licet enim multi auctores, de quibus supra, idem Clericis permittant, nullus tamen Iesuita hoc docet; Amicus per modum objectionis proposuerat, sed statim, ut dixi supra, expunctum est.

Utrum verò vir nobilis acceptâ alapâ, vel aliquâ contumeliâ, quâ honor graviter lædatur, possit licitè repercutere, vel etiam occidere; magna est dissensio. Multi affirmant, scilicet Navarrus, Petr. Navarra; Victoria, Henriquez, Fernandez, Diana, Lessius à Cardinale de Lugo citati *sect. 10. num. 189.* quanquam Lessius hanc sententiam improbabilem in praxi dicat; adde Marchant. *in sum. resol. Pastoral. ad decalog. cap. 5. quest. 3. Cas. 3.* item Mag. Mancium, Mag. Pennam; Cordubam apud Henriquez *in sum. lib. 14. cap. 10. n. 3. in gloss. litt. T. Mercat. apud Petr. de Navarr. l. 2. cap. 3.* Ludovicum Lopez *in instruct. 1. p. c. 62.* Victoriam *in relect. de jure belli num. 5.* Marcum Serra *2. 2. q. 64. art. 7.* Philipp. Fabrum *de rest. in 4. d. 15. quest. 70 disp. 52. cap. 1. num. 29.* Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 12. diff. 12. num. 3.* Vide sis alios apud Dian. *2. p. tract. 1. resol. 15. & 5. p. tract. 4. res. 11.* Bonacinam *de restit. propter homicid. disp. 2. quest. ult.* Gregor. Caraff. *de duello. pag. 192. num. 25.* Contrariam tamen sententiam Doctores communiter docent, ut Soto, Carrerius, Molina, Vasquez, Rodriguez, Turrianus, Bannes, Salo- nius, Malderus, quos citat & sequitur de Lugo *sect. 10. cum universo Jesuitarum manipulo, si unum ex- cipiatis.* Quia scilicet jam honorem perditum suppo- nunt, & novum tantum acquiri, vel ex vindictâ, vel ex fortitudine petendum, juxta hominum opi- nionem.

Hæ tandem sunt Jesuitarum de homicidio senten-

Argu

O

Argu * tiaz

tia; in quibus nihil profectò est, quod à communi sensu alienum sit. Nempè de ultimo dumtaxat casu dubium esse posset; utrùm is scilicet, cui gravissima contumelia illata est, ad reparandum honorem perditum, fugientem illum, qui contumeliam intulit, insequi possit, percutere, & si opus sit, occidere. Unus solummodo Jesuita hoc licitum esse docet, scilicet Henriquez; alius in praxi damnat, ut Lessius; recentior autem Apologista, quem plerique omnes Jesuitam esse testantur, non adstruit quidem, damnare tamen non audet, propter doctissimorum hominum, qui hoc docuere, auctoritatem; reliqui omnes oppositam sententiam defendunt.

Sed jam videndum restat, quàm benè ratiocineris. Licet inquis, * ex eorum sententiâ, intentantem mihi alapam occidere; ergo etiam alteri impactam, impingentis nece ulcisci licet. O ignarum dialecticum! quàm falsa sit consequentia, nemo non videt. Antecedens, non modò Jesuitarum est, sed ferè omnium, ut dixi supra. Possum enim vim vi repellere, & arcere contumeliam, quam quis vel fuste, vel alapâ inferre mihi, per gravem injuriam conatur. At, ut ex hoc antecedente non sequitur, quòd, acceptâ semel contumeliâ, illam inferentis nece ulcisci liceat; tunc enim vim vi non repello, nec contumeliam jam acceptam & illatam arceo, sed malum pro malo reddo, quod reverà est ulcisci: ita non sequitur, quòd id quoque alterius gratia, quod inferre videris, præstare possim. Sed, ut ingenuè fatear, rem ipsam minimè capis. Nec enim distinguis contumeliam, quam quis inferre parat & aggreditur, à contumeliâ jam illatâ. Pari modo, possum alteriùs operam conducere ad repellendam injuriam, non tamen ad vindictam.

* Pag. 379.

Argu-

Argumentari pergis: licet calumniatorem, & bonorum prædonem occidere; igitur & eum, qui salutem meam insidiatur, quovis mali incitamento, v. g. doctrinam, exemplo. Antecedens illud tuum ambiguum est: si enim jam calumnia afficta est, & facultates ita ablatae, ut raptori excuti non possint; nemo, saltem inter Jesuitas, tibi concesserit, calumniatorem, vel prædonem occidi posse: si verò prædo rapere & auferre satagat, nec abstinere, aut dimittere, quantumvis monitus velit; eum sanè occidi posse, ferè omnes Doctores sentiunt. De calumniatore per occultas detractiones, aliqui tenent; nullus Jesuita docet: de illo verò, qui publicam infamiam vel calumniam, eamque gravissimam intentat, quam quis alio modo vitare non possit; idem omnes communiter docent, quod suprà de honore læso dictum est; nempe nomen bonum & bona fama honorati viri, à Doctoribus ipsi vitæ comparatur. Sed pro his ad utrumque Apologiam te remitto.

Jam venio ad tuam illam consequentiam, quæ in eo dumtaxat casu, concedi utcumque potest, quo alius modus non esset, procurandi tuam salutem, nisi per mortem illius, qui salutem tuam insidiatur. Hic autem casus chimæricus est, nisi fortè, si quis pudicitiam alterius impeteret; nemo autem negat, quin is, si aliter repelli nequiret, occidi posset. Nec Episcopus occidi debet, licet errores spargat, sed ad superius tribunal deferri: nec scæmina, quæ dissoluto incedit habitu; *averte oculos Willelme, ne videant vanitatem*: nec is, qui Reip. Christianæ obesse putatur; cum ad hoc, auctoritatè publica opus sit. Vident, quam facillè tuæ consequentiæ corruant? nec erat, quod Ravailacos & Clementes, funesta illa monstra, sub aspectum hominum reduceres. Quid enim ad Jesuitas

suitas, in quos tamen, Regum consiliis affidentes concitare instituis? Sed frustra: Reges satis nōrunt, nihil sibi à Jesuitis timendum, quibus nihil antiquius est, quàm ut pro aliorum salute vitam cum sanguine profundant. At multum est, quòd timeant ab Hæreticis, à Jansenistis, qui pecunias accumulantes, factiones & tumultus excitant, arcana fœdera ineunt. Quod addis, jure Montaltium suæ vitæ timuisse, ac propterea tacuisse nomen; sibilis potiùs quàm ulla responsione dignum est. Quisquis Jesuitas nōrit, qui suum dumtaxat sanguinem pro Christo fundere didicerunt, in te profectò excandescet Willelme, vel potiùs tuam insaniam ridebit. Carnificem Montaltius timuit, non Jesuitas; nisi fortè quatenus hi, pro more, ad furcam illum piè deducerent. Frustrà deinde, per summam impudentiam, jactas famosarum Literarum vim, quæ Jesuitarum famæ & existimationi multum nocuerint. Jesuitæ more Apostolico, *per infamiam & bonam famam*, Evangelica munia huc usque obierunt. Infamare certè voluistis; sed infamia in vos ipsos & Literas vestras cecidit, quæ judicio Apostolico damnatæ æternam infamiam contraxerunt.

Jesuitæ nec ficarios, nec satellites hætenùs habuerunt: de conversione, non de nece vestrorum agitant consilia. Impostor atrocissime, mortalium maledicentissime; quandonam, & à quo vestrum sanguinem fundi poposcerunt? In desperationem acti, inquis, quòd scilicet à Jansenistis ex illo, quem sibi arrogabant, literarum principatu deturbati fuerint, & vix alia iis suppetat via amissæ dignitatis recuperandæ, devotorum sibi ficariorum gladios adhibere possunt. O nequam! gladios Jesuitæ non nōrunt, nisi Ethnicorum & hæreticorum, quibus, in odium Fidei innumeri hætenùs occubuere. Dixi ferè *Jansenista-*
ram.

rum. Quis enim Bajonensem tragœdiam ignorat, in qua, vestris gladiis, Jesuita sacram pixidem manu gestans, in sacello ad aras confossus est? Fusus sanguis, de terrâ etiamnum clamat. Hæc facilè ommitterem, sed pro fictis & chimæricis cædibus, quas Jesuitis affingitis, veras & cruentas, quæ jussu vestro patratae sunt, exponere oportuit. Nullum porrò litterarum principatum Jesuitæ sibi arrogant. Quod autem à Jansenistis ex illo suo pristino gradu dejecti fuerint, pace tua dixerim Willelme, falsissimum est. Non gesta narras, sed concipis vota. Quasi verò non doceant, scribant, conciones sacras habeant, ut antè. Sed quæso, per te mihi liceat Willelme, sincerè interrogare. Quinam sunt litterarum Principes vestri? appella quæso. Arnaldum & germanum fratrem illicò appellabis: nec enim scribas, scurras, poëtaetros, aliosque qui versioni serviunt, in doctorum album referre par est. Vis dicam? In primo, locorum, quæ nihil probant, meram farraginem; in altero, operosum tersi styli nitorem agnosco, prætereaque nihil. Sunt insignes Theologi? errant in principiis fidei. In doctrina Patrum versatissimi? ut Calvinus; qui locis Patrum ad errores suos confirmandos utebatur. Antiquæ disciplinæ & eruditionis peritissimi? sed novæ, quam violant, imperiti.

Sed homo nequam, cur Jesuitis fœdè imponis, quasi dicant, *ratione cujusque dignosci*, utrùm occidendi causa legitima sit? Quis unquam Jesuita, quis Catholicus hoc dixit? Doctorum, sapientum, ratio super hoc consulitur, non cujuscumque: hi verò Scripturas, Patres, Canones, Sacra Jura, & rationem consulunt. Ratio quidem consulenda, ut suprâ dixi; non tamen cujuscumque, sed pii, docti, periti; quibus titulis Regioportuenses carent. Illa autem ratio à prædictis capitibus petenda est.

Cur etiam, ratione proscriptâ, Divinorum Præceptorum intelligentiam ex Traditione solâ repetis? Ecclesiæ auctoritatem retices, quæ tuos errores damnavit: rationem, ut pestem, arces, qua vestrorum dogmatum falsitas heterodoxa contrita est. Cur demùm principium illud statuis, exceptionem omnem generalis præcepti, quæ sine auctoritate Scripturæ & Traditionis affertur, falsam & erroneam esse? sed profer quæso, vel Scripturam, vel antiquam Traditionem, quâ constet, Virginem Deiparam sine peccati originis labe conceptam esse. Et tamen hæc exceptio non est erronea; immò erraret ex Syxti IV. Extravagante, qui erroneam diceret. Profer aliam, quâ certum sit, vitam, bona, membra, proximum, defendi posse contra vim aggressoris, etiam cum hujus morte. Si enim Traditio antiqua vel Scriptura fuit; quomoddò illam D. Augustinus ignoravit? omitto alia innumera. Igitur, velis, nolis, ad auctoritatem Ecclesiæ veniendum est, quæ & verum Scripturæ sensum declarat, & Catholicas Traditiones ab aliis probè discernit. Ad hoc igitur tribunal te sisto Willelme, ut de tuis erroribus judicet. Quorum sanè primarius ille est, & communis omnibus aliis hæreticis; quo Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ auctoritatem, pro definiendis doctrinæ morum & Fidei controversiis, solâ Scripturâ & Traditione contentus, datâ operâ omittis, quia non admittis.

Jam Confectaria quædam ex tuis illis erroribus deducis. * Primò, pro tuendo honore, vel recuperandis bonis, quæ fur per vim asportat, cædem licitam non esse; quia adversa opinio nova est, nec ullum habet in Scriptura, vel Patribus fundamentum; igitur sine aliâ majore inquisitione damnanda est. Immò verò ex Sacris Canonibus deducitur: *se suaque liberando.*

* Pag. 370.

Immo

Immò ex Sacrà Scripturâ , in quâ contumelia , quâ solus honor læsus fuerat , tam gravi pœnâ divinitus immisâ plectitur. Sic ursi vorarunt petulantes illos pueros, qui Eliseum , per ludibrium , calvum appellaverant : ignis cœlo lapsus consumpsit missos à Rege ad Eliam , quòd minore , quàm par erat , honore ac reverentiâ Prophetam profecuti essent : D. Ambrosius, ut optimè observat citatus suprâ Cajetanus , omnem injuriam , gravem scilicet , licitè repelli posse docet; idque generaliter: in Scriptura bonum nomen melius est , quàm divitiæ multæ : Cham propter levem , ut primo intuitu apparet , irrisionem , tam gravem in posteros suos propagandam maledictionem passus est. Denique cur dicis, novam esse opinionem, quam Doctores omnes , præter quatuor aut quinque nec numero nec auctoritate pares , tenuerunt?

Secundò , recentiorum Apologistarum desipere vis, quòd à vobis postulet Scripturæ locum , quo vetitum sit, pro bonis & honore tuendis , si aliter fieri nequit, hominem cædere : ac profers in hanc rem generale præceptum , *non occides*. Sed ita omnes intelligunt, ut injusta dumtaxat cædes in eo prohibeatur. Nec enim vim vi repellere vetat. Honorem autem defendi posse , omnes dicunt ; quia , scilicet , res magni momenti est , & injustè lædi potest. Quid ad hoc Theologe Salisburgensis ? Tertiò eundem increpas , quòd exemplo Principum , Magistratum , militum, exceptiones illas firmârit, eo tempore , quo nulla Scriptura extabat. Hoc frivolum & imbelle vocas ; quia, scilicet, Traditio fuit. Sed si quis hoc neget; quomodò probabis ? Prætereà negabis , alios Principes, aut reip. Magistratus, qui hujusmodi Traditiones nunquam acceperant , fontes justè damnasse ? Jus naturale fuit , mi homo , vel ipso naturæ lumine , non pa-

rùm certò ; ut dicis , at certissimè notum , de quo nemo sapiens , nemo doctus vel minimùm dubitet ; scilicet illo generali præcepto , *non occides* , cædem injustam vetari. At cædes fontis , publicâ auctoritate , ac debito modo facta , iusta est ; item illa , qua quis gravem injuriam cum moderamine inculpatæ tutelæ repellit , quando aliter fieri nequit. Et ut optimè observat Cajetanus *in sum. V. Homicidium* , semper est mortale , *ex intentione* occidere , privata auctoritate , nec ulla est exceptio. Hinc rei sunt , quotquot ideò se defendunt , ut occidant , vel non sunt defensione contenti , nisi occidant ; secùs verò illi , qui occidunt , ut se defendant , cum aliter se defendere nequeant , nisi occidant. Defendere autem licet , ut idem Cajetan. cum cæteris omnibus deinde testatur , vitam , libertatem , pudicitiam , bona , honorem , proximum ; uno verbo , inquit , *necessaria ad vitam & virtutem , tuam suam , tum suorum.*

S E C T I O I I.

Jesuitica de cæde doctrina refellitur.

Jesuiticam doctrinam de homicidio , quam supra fideliter retuli , impugnandam hac sectione susceperisti * : quo eventu , jam jam constabit. Primum argumentum ab auctoritate Sanctorum Patrum ducis , qui prædictam doctrinam damnarunt : præter illos , quos Apologista laudaverat , aliquot etiam de tuo penu protulisti. At hi negant , cædem unquam licitam esse , etiam pro vita defendenda , contra D. Thom. & torrentem Scriptorum. Cum igitur vel explicentur , vel ab iis , quantum ad hoc , impune discedatur , cur non idem facere liceat , quando agitur de fortu-

* Pag. 380.

nis & honore? Quia, inquis, cum Leges propriæ vitæ defensionem permittant, tum Civiles, tum Ecclesiasticæ, & communis in eo fit Theologorum consensus; nihil mirum, si ab aliquot Patrum sententia, quæ illam fieri prohibet, jure aliqui discesserint *. Ain', Willelme, aliqui? quasi verò Doctorum torrens hanc justam defensionem suo calculo non approbet, non modò pro vita, verùm etiam pro fortunis, libertate, membris, pudicitia, honore, parentibus, amicis; & pro omnibus ad vitam & virtutem necessariis, ut ait Cajetanus suprâ citatus, ad repellendum omne injuriæ genus, modò hæc gravis sit, ut ex Ambrosio idem auctor & alii Doctores ex utroque jure colligunt: quasi verò Hieronymus ab Apologisticis citatus non permittat ad repellendam vim, enervare latronis & piratæ fortitudinem. Quoniam verò pacto? amputatis scilicet manibus & pedibus. Sed quis neget latronem in eum statum redactum, in quo nocere amplius non valeat, occidi ultrà non posse? at, cum vix enervari queat, nisi occidatur, saltem ut plurimum, (nec enim, ô bone, Chirurghi manum expectat;) nunquam ferè enervare licet, nisi simul occidere licitum sit.

Præterea, non desunt, qui pauca illa, quæ vulgò in hanc rem adduci solent, verisimiliter explicent. Vel enim rem istam ad terrorem populo conciliandum exaggerant: vel homicidium illud intelligunt, quod ex odio, vel in vindictam, vel per se atque ex professo patratur; non verò ex mero justæ defensionis fine. nempè nemo potest se defendere, ut occidat; licet possit occidere, ut se defendat; scilicet contra injustam vim, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vel ita rem intelligunt, ut alius modus vitam fortunæque servandi suppetat; vel quia non mera defensio, sed

* Pag. 381.

fed aggressio ab iis supponitur. Sed cur in his diuitiis hæreo? cur jam actum ago? consule Willelme, innumeros auctores, qui de hoc argumento scripserunt; scilicet Eminentissimos Cardinales, Illustrissimos Præsules, Doctores celeberrimos, Theologos & Canonistas, sanctissimos & doctissimos homines. Sed hos omnes, præ tuis Jansenio, Sancygirano, Arnaldo, nihili facis. Non deest denique firmissima ratio, quam Regio-portuenses solvere debuissent. nempe omnem vim injustè illatam, si res gravis sit, repellere possum: sed illa omnia, de quibus suprâ, gravissima sunt, & ad vitam honestè ducendam necessaria. Quæ sanè lex à naturâ nobis indita est. Et licet Deus summo jure agens, ea nobis prohibere possit, quæ jure naturæ nobis licent; nunquam tamen ita agere censendus est: ac proinde præcepto illo non occidendi, homicidium injustum tantummodò vetat.

Ut autem omnium ferè Theologorum consensum opponis Augustino, aliisque nonnullis Patribus, pro justâ vitæ defensione; cur eundem non opponis, pro defensione fortunarum, membrorum, parentum, honoris, pudicitia? nempe in hanc sententiam iidem Theologi omnes descendunt, si duos aut tres excipiam. Igitur non imminuitur quidem, ut temerè dicis, Patrum auctoritas, sed benignè ac verisimiliter explicatur. Quod dicis, occidi ficarium Reip. jussu; aliqui ex Doctoribus ita censent: iidem tamen volunt, ejusdem jussu, quamlibet vim injustè illatam repellendam. Sed veriùs dixero, naturæ jussu ac lege id fieri. Si enim id natura vetaret; Resp. permittere non posset. Quòd demùm subnectis, non magnum esse Scholasticorum numerum, qui, servatis servandis, pro fortunis & honore defendendis, injustum aggresso-

rem occidi posse dicant; falleris, Willelme, & tuo Lectori fœdissimè imponis. Nempè tam pauci id negant, ut vix centesimam aliorum partem faciant: ut constat ex dictis suprâ. Immò jam ostendi, Jesuitas in hac materia à communi aliorum sententiâ non discedere. Consule, quæso, & relegere utrumque Apologiam, qui rem hanc egregiè discussit.

Tum congeris * multos Conciliorum Canones, contra homicidia voluntaria, immò & involuntaria. Sed ô bone, de injustis homicidiis agunt, saltem præsumptis, ad pœnitentiam imponendam. Ancyrani Canon 22. non 21. quem primo loco citas, hæc tantum habet. *qui voluntariè homicidium fecerint*: injustum scilicet. Idem dico de Canone 17. Agathensis; repetito in Epaonensi. Idem de Canon. 16. non, ut habes, 28. Aurelianensis quarti: in quo res tam perspicuè proponitur, ut minimè omittenda esse videatur. *Quisquis, inquit, homicidium voluntate commiserit, ita ut occidere audeat innocentem.* Audin' Wendrocki, INNOCENTEM? Igitur injustum aggressorem occidi non vetat, justæ scilicet defensionis jure. Hic tuam fidem. Sed, inquis, illud idem apud Patres vindicta est, quod apud Jesuitas defensionis locum habet. Erras Willelme, erras: justa defensio honestus finis est: si quis ad vindictam eâ abutatur; quis eum excuset?

Deinde patientiam valdè commendas. † In hoc tecum sentio. Illud Evangelii de alterâ maxillâ percutienti præbendâ, & pallio cedendo tunicam auferre volenti, non præceptum, sed consilium est. equidem Augustinus ad cordis præparationem transtulit, id est, ad interiorem charitatem & benevolentiam, quâ homo Christianus, etiam inimicos, diligere jussus est. Exemplum Christi, non præceptum, sed

* Pag. 382. † Pag. 383.

confi-

consilium patientiæ constituit. Proximi sanè utilitati studendum, saltem voluntate, si non opere. Cum autem *ordinata* Charitas censeatur: licèt possim contumelias & injurias à proximo pati, atque id laudabile sit, & virtutis heroicæ; nemo tamen dicat, me ad id præcepto teneri: alioquin vim vi repellere non liceret. Sed, inquis, illum, quem occidis, detru- dis ad inferos. Ne scilicet eò me detrudat. Nam fieri potest, ut ego quoque noxæ lethali adstrictus sim eo temporis momento, quo quis injustè me aggredi- tur. Præterea, non intendo mortem proximi, sed prop- riæ vitæ defensionem. Sed hæc aliaque id genus que objicere posses centies difflata fuerunt.

Et verò lepidissimus esse vidèris, dum nihil foris à nobis faciendum statuis, nisi quod utile sit, non no- bis, sed inimico, cui prodesse velle debemus. Igitur nec Iudex reum ad mortem damnare potest; cum etiam Iudex præcepto charitatis teneatur: nec ullus contra sicarium vitam propriam defendere poterit. Quis hæc tibi concedat? quæ tamen ex iis, quæ à te dicta sunt, necessariò consequuntur. Quasi verò bonum meum, alterius bono, licitè præferre non possim; & Charitas, ut dixi, *ordinata* non sit.

Quod dicis, latronem enervari posse, amputatis scilicet manibus & pedibus, ex benevolentia; ridicu- lum est. Licèt enim ex odio adversus illum id fieri non debeat, ac proinde illi nocere minime intendam; pos- sum tamen propriæ Charitatis jure, meas fortunas contra illum tueri. Intendo igitur propriam defensio- nem, quam tamen procurare non possum, nisi per ac- cidens alteri noceam. Sed hæc tyrones sciunt: & de his agere pudet: tu me coëgisti, qui hæc ignorare vi- deris; nec distinguis contumeliam illatam, ab eâ quæ quis aliquem attentat, gravi scilicet, quæque jure naturæ

naturæ repelli potest. Sed quid honorem, quid pudicitiam, quid fortunas dico? tu ne vitam quidem, aggressoris cæde posse defendi, apertè dicis. Ut tuis principiis insistas, hoc tibi tenendum est. Sed malim cum Doctore Angelico, & omnium Doctorum turbâ, secùs sentire. Charitatem obtendis, hominum perditissime: sed fictam; cum animus tuus immortale odium adversùs Jesuitas & Ecclesiam Romanam alat. Hypocrita Charitatem illorum accusas, qui proprium sanguinem ultrò profunderent, ut cordi tuo Deus Charitatem infunderet.

S E C T I O III.

Dissolvuntur argumenta Jesuitarum.

Hic etiam bonam tuam fidem desidero, Wendrocki: sed frustra illud, quo potissimum cares, à te exigere. Argumenta, quibus Jesuitæ probant, honorem defendi posse, in sectionis titulo promittis*: at deinde non stas promissis. Nam præcipua per fraudem retices. Nempe ex eo naturali principio, quo vim vi repellere licet, injustè scilicet illatam, & in re gravioris momenti; manifestè sequitur, quòd, cum honoris esse possit injusta læsio, eaque gravis, in personâ scilicet gravi & honestâ, omnes jus habent, injustam illam læsionem arcendi ac prohibendi: jus enim quisque suum indemne servare potest; alioquin jus revera non esset. Deinde non modò vitam, quam quis injustè attentat, verùm etiam alia ad vitam honestè ducendam necessaria justè defendere possunt. Quis autem neget, honorem, verùm scilicet, ad hunc finem necessarium esse? cum fieri non possit, ut vir honestus, qui honore omni excidit, honestè vivat. Sed ne quidem illud solvis, quòd

* Pag. 384.

* refel-

refellendum suscepisti. Adducis *crudelem* illum *Syllogifismum*; * sic enim vocas. Carior honos, quam corporis salus; at pro salute corporis, licet hominem occidere, ergo etiam pro honore tuendo. Vocas *Syllogifismum*; at in quâ formâ aut figurâ? ille terminus *carior*, item ille *tuendo*, semel dumtaxat ponitur. Si *Dialecticam* nosse Wilhelme, non aded ineptires. Equidem ad *syllogifismum* reduci potest. Quis hoc neget? at eo modo, quo dicis, *syllogifismus* revera non est. Consule, quæso, tuos *Regio-portuenses*, utrùm novas *syllogifismorum* formas invenerint; quas *Aristoteles*, & qui post eum scripserunt, nescierint. Quid facerem hujusmodi hominibus, quibus solemne est, in omni argumenti genere, per supinam ignorantiam errare, & quod longe pejus est, erroribus pertinaciter adhærere?

Sed hæc levia. videndum restat, quid opponas, & quonam pacto argumentum solvas. Primo loco dicis, dubium esse, utrùm pro vitæ defensione, injustum aggressorem occidere liceat, servatis, ut ajunt, servandis. Nego dubium esse, quia omninò certum. Dicis prætereà, manifestum & constans esse; non licere hominem occidere pro defensione honoris; nec quisquam hæc de re, ut ais, per mille & quingentos annos dubitavit. Nego, id manifestum esse; tuis dictis profectò non stamus, nisi ea luculenter probes. Dico etiam, novam sententiam non esse, sed antiquissimam. Quis enim unquam dubitavit, vitam & necessaria ad vitam honestè ducendam, ac proindè honorem ipsum licitè defendi posse? Patres inquis, hoc prohibent. Cedò loca: ab iis enim illud dumtaxat homicidium prohibetur, quod à vindictâ, odio, malevolentia, levi causâ, ac proindè injustâ, directâ intentione, animo malo proficiscitur. Dubitarunt, inquis, aliqui, utrùm pro defensione vitæ occidere liceat, iiq̄ue mag-

ni & maximi viri. Sed, an majores D. Thomâ? Nullo, inquis, Decreto, illorum opinionem Ecclesia reprobavit. Fortè responsa Pontificum, & Decretales, Ecclesiasticarum Sanctionum loco non habes? fat scio, quid tibi velis. In iis enim à culpâ omni liberatur, qui, cum moderamine inculpatâ tutelâ, injustum aggressorem occidit. Tum argumentum, ut ais, melius invertis: non licet, inquis, pro honore tuendo, aliquem occidere; igitur nec pro vitâ. Antecedens, constantissimum Christianæ disciplinæ caput ineptè appellas. Nempè omnes ferè Doctores illud tibi negabunt; ut constat ex iis, quæ suprà dicta sunt.

Jesuitica, inquis, argumentatio fallaciâ laborat. Ostende paululum. Honor, inquis, quatenus est bonum ejus, qui eo gaudet, nec ad aliorum utilitatem refertur, vitâ ipsâ potior non est, sed exile quid est; de quo gaudere, vanitas est; illudque desiderare, ambitio: quatenus verò ad aliorum utilitatem refertur, ita vitâ potior est, ut vita potius amittenda sit, quàm aliquid admittatur, unde huic honori labes aspergi possit; per crimen, scilicet, vel criminis suspicionem. Egregium sanè Dialecticû! geminum tuæ distinctionis membrum adducis: utrumque vitiosum est. Primum quidem, quia falsum; quia verus honor, etiamsi ad aliorum utilitatem non referatur, magnum bonum est. Sed non miror, illos homines de honore ita sentire, qui honorem suum hactenus prostituerunt, & in perpetuam commutarunt infamiam. Nec honoris studium moderatum, vel ambitioni, vel vanitati tribuendum est. Idem de vitâ facile dicèrem; cujus immoderata cura vitio non caret. Et verò neminem ferè nisi rusticum & sceleratum invenies, qui mortem honestam infami vitæ non præferat; nisi fortè quis, heroicâ virtute, infamiam ultrò pro Christo amplectatur.

Aliud

Aliud quoque distinctionis tuæ membrum vitiosum est: quia ad rem ipsam non applicatur. Vis enim, nullo unquam scelere aut criminis suspicione, honorem illum, qui ad aliorum utilitatem refertur, contaminandum. Rectè: quis hoc negat? Ille Ivonis locus frustra omninò à te adductus. Sed quæso, applica. Fateris, * honorem illum, quatenus ad aliorum utilitatem refertur, vitâ ipsâ potiorem esse. Sed hunc ipsum injustus aggressor impetere potest. Si ergo alia via non suppetit, quâ hujus honoris indemnitati consulam; cum vitam defendere possim, cur honorem vitâ potiorem defendere non liceat? Hoc solvendum erat, mi homo. sed hîc hæsit gutta. difficultatem eludere voluisti. Gregorium citas, qui tristitiam, ex maledicentiâ, & obtreccionibus aliorum, proveniente lenire conatur. Quid tum? utinam omnes ejus consiliis acquiescerent! Quasi verò Lessius citatus, ac Iesuitæ omnes, id consilii piè non suggerant; aut quisquam dicat pro simplicibus obtreccionibus hominem occidi posse. Licet, inquis, honorem illum defendere, sed non crimine, non homicidio. At si alio modo non possit, ut supponitur; quid ad hoc? Denique vitam defendi posse subnectis, quia Leges & Ecclesia id concedunt. Sed quæso te, an licet, quia Ecclesia permittit? minimè verò: sed Ecclesia declarat, licere; quia reverà licet; licet autem, quia malum non est. D. Thomas, inquis, occidendi propositum prohibuit. Rectè: nempe, ut te defendas, aggressorem injustum occidis. Proponis tibi defensionem; non verò homicidium, nisi per accidens; & habes animum non occidendi, modò aliter defendere te possis. sed nullam hoc difficultas. Si hæc intelligeres, hæc sanè disputare puderet. Cur verò Iesuitis, non verò aliis super
builæ hoc

hoc litem moves? quasi verò isti & numero & auctoritate Jesuitas non superent. Id charitatis tuæ fuit, & benevolentia; Jesuitis, non verò aliis invidiam conciliare. Odisse tibi satis non erat, nisi plerisque tecum aliis odium illud commune esset. Faxit Deus, ut te vicemque tuam, cujus me miseret, tandem agnoscas: quo reverà fiat, ut ejuratis erroribus, odio deposito, malè gestorum ac perperam dictorum te pœniteat.

Redis statim ad genium, * dicisque, prudentis Theologi esse, etiam pro vitæ defensione, illicitam putare cædem. Vis dicam? quia existimas, hunc actum à Charitate proficisci non posse: omnis verò actio, quæ à Charitate non procedit, inquis, peccatum est. Hæc tua sunt, & Jansenistarum tuorum, somnia. Quod verò iterum dicis, certum esse, pro honore tuendo, injustum aggressorem occidi non posse; eadem facilitate rejicitur, quâ asseritur. Vix enim probabile est, quod tam constanter asseris certum esse. Dico *vix probabile*: cum moraliter certum sit, justam honoris defensionem, contra injustum aggressorem, licitam esse. Quod subnectis, Jesuitarum dogmata edè spectare, ut necem calumniatoribus, maledicis, contumeliosis, falsis testibus, iniquis iudicibus, inferri permittant; falsissimum est. Equidem Bannez quæst. 64. art. 7. Petrus à Navarra lib. 2. cap. 3. num. 391. Cajetanus quæst. 95. art. 8. ad 3. præter alios, quos supra citavi, de falsis testibus & calumniatoribus id concedunt; si fortè ex falsis illis criminationibus, vel mors, vel infamia, vel fortunarum jactura consequi debeat, neque hæc aliter vitari possit. His tamen non obstantibus, Lessius lib. 2. cap. 9. dist. 8. num. 47. expressè negat, hanc sententiam in praxi admittendam esse, Idem num. 78.

* Pag. 387.

P

expressè

expresse dicit, contumeliis per verba, vel signa afficientem licite occidi non posse. Licet enim Petrus à Navarrâ, citatus num. 376. illud concedat; *hæc tamen sententia non est sequenda*, ait Lessius. De alapâ inflictâ, ab eo, qui deinde fugit, supra jam dictum est. Et licet multi auctores pro parte affirmante, à Lessio citentur num. 79. ut Navarrus, Navarra, Henriquez, Jafon, Corduba, Mantius, Penna, Clarus, Cajetanus, D. Antoninus, Mercatus, Victoria; tamen num. 80. aperte dicit, hanc sententiam in praxi non esse facile permittendam. Inter tot Jesuitas, unus Henriquez illam tenet. Pari modo, Lessius num. 82. illam sententiam improbat, quam Navarra & Bannez citati docent: licere scilicet eum occidere, qui falsis criminationibus, apud Judicem, Principem, viros honoratos, nomini alicujus ita detrahit, ut damnum famæ averti non possit, nisi criminator è medio tollatur. Immò idem Lessius num. 55. multis rationibus probat, longè fatius esse, mori, quàm occidere, etiam pro vitæ defensione: & hoc salutare consilium valde commendat, & magni faciendum esse ipse affirmat. Cur ergo Jesuitis tam falsa, & ab eorum sententiis aliena imponis?

Nec est, cur Apologistam arguas *, quòd Montaltium tuum, latronum & sicariorum patronum & advocatum, nec ab re quidem, appellarit. Quis hoc neget? nisi enim justæ defensionis arma & vires illi timerent; quid, amabò, non auderent? quid non attentarent? Nec est, quòd dicas, Montaltium ad patientiam hortatum esse, Apostoli exemplo; *non vos defendentes*, inquit, *charissimi*; immo & Christi, qui alteram maxillam, percutientibus præberi jussit; ac demùm SS. Patrum, præsertim Augustini. Hortare, quantumlibet, per me licet: hortantur & Jesuitæ omnes

* Pag. 383.

omnes tecum. Sed quòd illud sub præcepto imponas ; quis te constituit judicem , vel naturæ legislatorem ? Illud *defendere* Apostoli , idem est quod *ulcisci*. Patet ex græco , ut Lessius & alii observarunt. Quid ergo iterùm occinis illud Christi ? Consilium est , non præceptum. Augustinus eo , quem adducis , loco , amorem inimici dumtaxat inculcat. Ad pœnam libri. Quis hoc neget ? quis dicat , ex odio quemquam occidi posse ? Spumam sub finem paragraphi potiùs , quàm atramentum chartis aspergis. Dicit enim , Jesuitas Diaboli partes agere ; consiliis suis animæ vitam innocentibus eripere , improbis verò corporis vitam ; reum ab iis ad æterna mitti supplicia ; innocentem fieri æterni supplicii reum. Garris nebulo , garris. Ubi sunt illa Jesuitarum consilia ? Immò ad patientiam heroicam , & tolerantiam , scriptis , verbis , exemplisque suis omnes hortantur. At contra sanctas naturæ leges , quas impunè violatis , scribere noluerunt : justam , scilicet , defensionem illicitam esse. Sed multi ad æterna supplicia mittuntur. Paucos dicere debueras. Pauci enim sunt , quos privata auctoritate justus defensor interimat : longè plures injusta sicariorum manus è medio tollit : sed plurimos sanè , justa , vel injusta bella extinguunt. Quid ergo , infantes Jesuitas accusas , divini , non humani sanguinis sitientes ? Reponere possem cum fœnore. Dicit , Jesuitas innocentibus insidias struere , eosque Diaboli consiliorum socios & fautores , ad vindictam incitare & impellere : quod reverà apud omnes probos qui Jesuitas norunt , falsum esse , constat , & per meram calumniam iis afflictum. Ceddò unum , qui vindictam non damnet. Cita locum , in quo aliquem ad eandem incitent , atque impellant. Sed quid de vobis dici non posset ? qui ho-

mines in errorem inducitis, doctrinam Catholicam impugnatis, Fidem ipsam impetitis, Ecclesiam affligitis, Rom. Pontificem ejusque Decreta irridetis, damnatas hæreses pertinaciter defenditis, novos Sacramentorum ritus, per tumultus & factiones, per fas & nefas introducere non cessatis? sed cur hæc frustrà recenseam, quæ jam publica sunt? quis enim nescit, Jansenistas hæreticos esse, qui Ecclesiæ bellum suis erroribus, Sanctæ Sedi libellis schismaticis à se editis, Patriæ suis tumultibus, Jesuitis denique ac bonis omnibus, suis calumniis & convitiis indixerunt?

Ad Duellum orationem convertis *, quod à multis Jesuitis, ut licitum permitti fingis, scilicet à Lessio, Layman, Hurtado, Filiutio. Dixi hæc à te fingi. Nam Lessius citatus num. 84. contrarium docet. Quid Layman sentiat, Apologista impost. II. & P. Annatus in Libello, qui *Bona fides Jansenistarum* inscribitur, abundè satis docuere. Sed cur Layman apud Caramuëlem & Caraffam, non apud illum ipsum inspicias? an illius libri non extant? sed cur citas sectionem tertiam? nempe hic tractatus non in sectiones, sed in partes distribuitur. Citas etiam num. 4. pro 3. & Navarram pro Navarro. Nihil porro hoc loco Layman habet, nisi quòd, in rarissimo casu, quo miles, aut vir equestris, officio, dignitate, Principis gratiâ excidere debeat, ob ignaviæ infamiam, nisi identidem provocanti se sistat; eum qui meræ defensionis gratiâ paruerit juxta doctrinam Navarri, damnare non audet. Non dicit, se approbare: addit tamen de suo, id permittendum, si quis ità ad pugnandum, alium laceffit, adjectis crebris convitiis & contumeliis, ut hæc gravi injuriâ & contumeliâ se liberare non possit, nisi ar-

* Pag. 389.

mis congregiatur, & eam repellat ferro. Quid enim hoc aliud est, nisi mera defensio? Quis neget, contumeliam gravem repelli posse? Idem omnes sentiunt, si armis congredi necesse sit, ad tuendam vitam, v. g. si quis alteri diceret stricto gladio: *Ego te modò conficiam, nisi congregiaris mecum.* Filiutius & Hurtado suprâ citati, in hoc dumtaxat sensu loquuntur, ut quis meræ defensionis gratiâ armis congregiatur, nec sit alius modus evadendi. Nec est, quod dicas, Jesuitas censere, duellum esse tantùm illicitum, propter Regias, vel Ecclesiasticas Leges: quod à veritate alienum est. Quis unquam Jesuita hoc dixit? cùm Leges humanæ accesserint ad majorem illorum pœnam, qui detestabilem illum duelli usum adhiberent. Duellum igitur per se malum est, sicut homicidium: sejunctum scilicet ab iis circumstantiis, quæ utrumque culpæ aliquando eximunt.

Hinc, quod subnectis de Lege Pœnali, ut vocant, corrui. Ut enim nemo negat, esse quasdam leges merè pœnales, * cum hoc à voluntate Legislatoris pendeat; pro quo præter auctores ab Escobario, quem citas, adductos, scilicet Navarr. Reginald. Villalob. Valent. Filiutium, tu vide sis Layman lib. 1. tract. 4. c. 15. qui citat in hanc rem Henricum, Angel. Castro, Salon. Philiarc. Suar. Soto, Carbo, Sanchez, & alios: qui rectè explicant, undè mens Legislatoris haberi & conjici possit; v. g. ex materiâ, fine, objecto, inodo, aliisque circumstantiis. Nec ulla est hoc loco difficultas. Nec enim Jesuita ullus leges contrâ duellum latas merè pœnales esse diceret; cùm duellum per se malum sit; ac proindè non ideò malum, quia prohibitum; sed ideò prohibitum, quia malum. Nec quisquam etiam dicet, propter Regias Leges dumtaxat duellum repudiari sinè ignominiâ posse. Cùm enim

* Pag. 390.

malum internum & verum crimen fit; etiam præcis legibus, à crimine abstinere, vera ignominia non est. Igitur Jesuitæ armis congredi eo tantum casu permittunt, quo quis, meræ defensionis gratiâ, illatam vim, aut gravem contumeliam repellit. Quid in his reprehendas, nemo sapiens inveniet. Sed malâ meâ sorte factum est, ut tecum agerem, qui res istas non intelligis: ut vel ex eo constat, quod dicitis, probrosum non esse, scilicet coram hominibus, alapam accipere. Nemo negat, quin maximi meriti, & maximæ gloriæ sit coram Deo, patienter ferre, alteram maxillam præbere. Hoc fac, Willelme, Iesuitarum exemplo. Sed quis à Vobis hoc speret, ut contumelias per injustam vim illatas patienter feratis, qui sinceras & à mera Charitate profectas, non correctiones, sed monitiones ferre non potuistis? quibus optimi Patres sæpè, frustra licèt, conati sunt ad meliorem frugem vos reducere; benignè hortati, ut ejuratis erroribus, pacem Ecclesiæ redderent. At surdis hæc hactenùs cecinerunt, & obstinatis in malo. Reverà, ut dicam, quod sentio, hæc obstinatio, tremenda est diabolicæ pravitatis & reprobi sensus nota. Denique sub finem irrides iterùm probabilitatis speculativæ & practicæ à Lessio sæpè usurpatam distinctionem. Rides inquam, quia rem illam non capis. Optimam enim & appositam distinctionem illam esse, in iis præsertim casibus, in quibus eam Lessius adhibet, ex iis quæ antè diximus, manifestum est. Quid ergo Lessio negotium faceffis, doctissimo, piissimo, & candidissimo Scriptori? importuna Cantharis rosam illam, florem illum illibatum invadis; non ut mel colligas, Apis sedula; sed ut mel ipsum, funestus araneus in venenum convertas. Tace igitur; æterno damnandus silentio; nisi ad errores tuos ejurandos, canendam-
que

que palinodiam, voce & calamo satis tempori uti malis.

In Epist. decimamquintam,

N O T A I.

De Calumnia.

IN hac scenâ, Willelme, egregiè præsertim ac strenuè te geris; gratum argumentum nactus, in eo reverà triumphas.* Quam quisque norit artem, in eâ se exerceat. Quidni, amabò, hujus artis, calumnias instruendi, contumelias intorquendi, ingerendi convitia, omnium sanè, qui præteritis retrò sæculis scripsere, longè peritissimus sis? tot hucusque calumnias & contumelias, tantumque virus acerbitatis, ore infrunito evomisti, ut supremum hujus artis magisterium adeptus, calumniatorum facilè Princeps & Coryphæus censearis. Ne tamen hîc operam meam desideres; ad susceptum à me castigationis pensum redeo. Primò caufaris, nihil ab Apologistâ responsum ad ea, quæ Montaltius primâ parte Epistolæ, contrâ doctrinam Jesuiticam, quæ calumniam à peccatorum numero eximit, luculenter exposuit. At ni fallor, primus Apologista, meo judicio, satis efficaciter, breviter licèt, reposuit, doctrinam illam non Jesuiticam, sed Dicastilli, communi Jesuitarum omnium, qui de hâc materiâ scripserunt, contrariam, suis auctoribus non carere; ac pro eâ citari Bannez, Vegam, Orellanam ab eodem Dicastillo. Paulò pòst dabo alios, ubi rem breviter exposuero. Disputant Morales Theologi, utrùm aliquis casus, rarus licèt, esse queat, in quo aliquis retorquere calumniam in calumniatorem sinè

* Pag. 408.

injustitiâ possit. Dicastillus tunc fieri posse putat, cum prædictis auctoribus & aliis, quos citat; si alius modus non sit, arcendi calumniam, gravem scilicet; & si reverà arceatur retortâ calumniâ. Tunc enim calumnia, inquit, simplex mendacium erit, non tamen contra justitiam; & quidem primò coram Judice, ita ut criminator, vel testis iniquus, calumniæ arguatur, si ve hic crimen falsum imposuerit, si ve fortè verum, sed occultum, contra juris ordinem, quòd nulla probatio haberi queat. Ita Bannez 2. 2. q. 64. a. 7. dub. 4. Petrus Navarra, lib. 2. c. 4. n. 349. Malderus tract. 6. c. 3. dub. 20. Sylvestr. v. restit. 3. q. 3. Navarrus c. 18. n. 49. Colligitur ex D. Thoma q. 69. a. 2. Lessius lib. 2. c. 31. n. 6. Mendoza in 2. 2. disp. 70. sect. 4. §. 121. Diana parte 5. tract. 17. resol. 26. Neque est mendacium, si neges illud crimen, quod occultum est, nec in judicio probari potest; quantumvis dicas, accusatorem mentiri, calumniari, &c. & hæc est communis.

Vtrùm verò semper mortale sit, objicere falsum calumniatori, vel accusanti contra ordinem Juris, disceptatur. Negat Dicastillus, si non sit alius modus evadendi, & sic reverà evadatur; enervatâ, scilicet, accusatoris fide. Idem sentit Bannez q. 70. art. 3. dub. 2. item q. 72. art. 3. Orellana q. 72. ut testatur Vega in Summâ Hispanicâ, Petrus Ledesma tract. 8. c. 25. concl. 21. dub. 3. qui hanc sententiam vult communem esse Thomistarum, desumptam ex S. Thoma 2. 2. q. 70. a. 4. Item Joannes De la Cruz in Directorio præcept. 8. a. 4. dub. 17. Si Dicastillum excipias, Jesuitæ omnes, quotquot scripserunt, in contrariam sententiam eunt. Recentior Apologista Dicastilli opinionem in praxi damnavit; sed propter tam illustres auctores speculativè probabilem esse, negare ausus non est; cum etiam aliundè probabilis dici queat, propter alios auctores;

scili-

scilicet, Majorem in 4. dist. 15. q. 16. Soto *ibid.* q. 3. Syl-
 vestrum aliosque, qui docent, compensationem in ca-
 lumniis fieri posse: non tamen Jesuitæ hæc docent.
 Cur ergo doctrinam Jesuiticam vocas, ac dicis, Jesui-
 tas Divinum præceptum labefactasse? Sed Willelme,
 * quid opus erat, tot Scripturæ & Conciliorum loca
 huc congerere? quid enim probant? Calumniam, in-
 quis, grave peccatum esse. Injustam scilicet: nec enim
 de aliâ in his locis agitur. Sed quæso, quis hoc negat?
 fingis tibi hostem, quem impugnes. Quis unquam Je-
 suita aut dixit, aut scripsit, injustam & gravem calum-
 niam grave peccatum non esse? Sed, inquis, omnis ca-
 lumnia injusta est. Hoc si probasses, Willelme, citrà il-
 lam locorum farraginem; non Jesuitas quidem, qui te-
 cum in hac re sentiunt, sed Dicastillum & alios qui
 cum illo sentiunt, non parùm perculisses. At demus,
 crimen occultum tibi ab aliquo exprobari, & te con-
 tra juris ordinem coram judice accusari: quid in his
 angustiis faceres? an crimen ultrò fateri statueres?
 haud crediderim. Quonam enim pacto occulta fate-
 ri velles, qui publica, quorum sæpè convictus fuisti,
 fateri recusas? taceres, exemplo Christi? at, qui ta-
 cet, consentire videtur. Præterea si tacere nequis,
 cùm jam causâ cecidisti; quomodò taceres, cùm illa
 defendenda esset? negares fortè? diceres igitur, fal-
 sam esse accusationem; igitur & falsum accusatorem.
 Vides, quò tandem te reduxerim.

Videndum restat, quomodò *ratiunculam*, non Je-
 suitarum, sed Thomistarum potiùs, quorum senten-
 tiam Dicastillus suo calculo donavit, impugnes. Quis-
 quis, inquit, injustè famam alterius lædit, justæ
 defensionis eidem jus cedat, necesse est: justa ve-
 rò defensio est, quâ medium illud adhibetur, quod
 ad repellendam injuriam necessarium est. Suppo-
 nunt

* Pag. 409.

nunt autem, ad removendam infamiam, gravem scilicet, immò & ad evadendam mortem, cujus crimen impositum reum facit, non esse aliud medium, præter illud, quo in accusatorem calumnia retorquetur. Demus ex hypothesi, mendacium peccatum non esse, licet reverà peccatum sit: haud dubiè, accusatus, calumniam, justæ defensionis jure licitè retorquebit. Igitur retorquere calumniam, ideò malum est, quia mendacium, non quia injuria est. Vt enim vitam meam attentans, injustè scilicet, & privata auctoritate, jus non habet in propriam vitam, quo minùs illam impetam, si meam aliter salvare nequeo; ita si famam meam attentat, in famam suam jus non habet, quo minùs, si necesse sit, nec aliter indemnis esse possim, eandem famam aggrediar: vel simplici mendacio, si calumnia est; vel insonti accusatione, si crimen impositum est verum. Hæc est Dicastilli & suffragantium ratio: quam tamen non ideò exposui, ut illam Bannis opinionem defendam; sed ut constet, quid tu ipse respondeas. Hoc igitur jam videndum.

Nihil prorsùs reponis, quod ad rem conferat.* Dicit enim, iniquum accusatorem apud Deum innocentem esse retortæ calumniæ. Quid tum? nemo negat, mendacium esse, ac proinde peccatum. Sed quòd injuria iniquo accusatori inferatur, probare debuisses. Minimè probas. Non est justum, inquis, ut apud homines amittat, quod apud Deum non amisit. Sed apud Deum, justum est, ut iniquam accusationem diluam: eò enim specto. Sic vim vi injustè illatam repello: quod autem injusti aggressoris, vel vita, vel fama aliquid inde patiat, omninò per accidens est. At injustum est, inquis, omne judicium quod veritati non consentit; cum eadem sit justitia, quæ veritas. Sæpè ac sæpiùs te seriò monui, Willelme: rem istam non

* Pag. 409.

capis. Quis enim nescit, quantumvis tyro, non omne mendacium injustum esse? quis nescit justitiam à veritate distinctam? sic Christum Dominum à Judâ proditum à Judæis cruci affixum fuisse, veritati consentaneum est, quamvis à justitiâ alienum. Veritas igitur à justitia discrepat: quod nemo nescit, nisi pertinax & ignarus Jansenista. Neque hîc sceleris scelus ulciscimur. Nempè vindicta non licet: sed justæ defensionis jure, simplici mendacio calumniam, vel crimen, contra juris ordinem, affectum refellimus. Neque perindè est, ac si quis adulterium adulterio vindicaret: quia adulterium omne, peccatum mortale est; ut & ipsa fornicatio: præterquàm quòd adulterium ad justam defensionem nihil penitus confert.

Quòd verò doctrinam illam Dicastilli Facultas Lovaniensis damnarit; mirum mihi non accidit. Vereor sanè illustrem Academiam: sed illius censuras, à factione, non ab æquitatis studio profectas plurimi flocci facient. Quid Baius, quid Jansenius, quid Fromondus in ea valuerint, non est profectò quòd dicam. Si quid in doctrinâ morum & Fidei adversus Jesuitas habeant; ad S. Sedem deferant: cujus dumtaxat, extrà Concilium Generale, judicio stamus. Quòd demùm illam doctrinam Dicastilli erroneam in Fide & hæreticam appelles; tuam ignorantiam prodis. * Nec propterea tam longus Cantoris locus adducendus fuit; nec is, quem subnectis, Doctoris Angelici textus describendus. Quis enim neget, hæresim esse, si quis dicat v. g. mendacium peccatum non esse; aut votum, seu juramentum nullam afferre obligationem? quia, scilicet, hoc constat. At occidere ad defensionem vitæ, facultatum, honoris, cum moderamine inculpatæ tutelæ, si aliter fieri nequeat; infamare

infamare ad defensionem justam propriæ famæ, aut etiam vitæ, si aliter vita aut fama servari non possit; non aded certum est, grave malum esse. Ac proinde, si quis hoc ipsum licere adstruat; non sanè continuò hæreticus censendus est. Hæreticus tamen censendus, Willelme, quisquis errores ab Ecclesiâ damnatos obstinatè defendit: ut Jansenistæ hætenùs, cum maximo totius Ecclesiæ scandalo, impunè fecerunt.

At Jesuitæ omnes constantissimè negant, peccatum veniale admittendum esse, etiamsi orbis universi salus inde pendèret. Cùm igitur omnis calumnia mendacium sit; & hoc, peccatum saltem veniale; nullus Jesuita unquam dixerit, calumniam licitam esse, licèt alioquin aliquando accidat, ut contra justitiam non sit. Esto, inquis; * Jesuitæ ita sentiant: hoc tamen non facit, quin peccata venialia facilè glutiant, eoq; obtentu, calumnias suis adversariis affingant; quæ reverà patent, in oculos incurrunt, ab omnibus palpantur, & ex illo erroris fonte derivantur, quo scilicet hoc licere sibi persuadent: hinc tanta calumniandi facilitas: immò ad omnem scrupulum evellendum, per aliquam *restrictionem mentalem*, ut vocant, mendacium purgari & castigari facilè potest: hinc, si aliquam mulierem Societati suæ infensam putent; eam statim ut adulteram infamare licebit; idque citrà injustitiam, quia calumniam calumniâ rependunt; & citrà mendacium, quia per *restrictionem mentalem*, de adulterii fonte, *concupiscentia*, scilicet, *fomite*, intelligunt. Somnias Willelme, somnias. Quænam sunt illæ patentes calumniæ? An quia vestros errores accusant? nunquid eosdem Ecclesia non damnavit? Quia vos hæreticos vocant? nunquid reverà hæretici non estis, qui damnatos errores pervicaciter defenditis?

* Pag. 412.

Quia

Quia malam fidem vestram prædicant? nunquid eam Annatus, & uterque Apologista luculentissimè non demonstrarunt? Sed ad censum calumniarum statim descendam. Quid ergo simplicioribus imponitis? Quanquam deinceps, quid temerè dicatis, aut scribatis perperam, parùm curandum est: cum jam omnes intelligant, ut rectè Annatus observavit, fidem vestram in proverbium abiisse, & Jansenistas omnium mortalium mendacissimos jure ac meritò censerì. Quod subnectis de muliere & adulterio; in communem spurcitiarum locum adeò tibi familiarem, ultrò remittam. Fæcibus innutritus esse vidèris, quas immundo plenus spiritu turpis scarabæus perpetuò versas.

Argumentum Apologistæ solvere fatagis*; sed frustra. Nempe inquis: Jesuitæ eam dumtaxat calumniam gravi injustitiæ crimine eximunt, quæ ad elidendam aliam calumniam adhibetur: hanc autem, ut dicitis, Jesuitæ adhibent, contra Jansenistas. Jansenistæ igitur calumnias priores struxerant. Quid ad hoc, mi homo? Jesuitæ, inquis, id sibi persuadent, cæco sui amore ducti. Hinc si quis eos Theologiæ ignaros esse dicat, vel ab iis morum doctrinam corruptam; illicò calumniatorem appellat. Negas, esse calumniam, Wendrocki? Pernego, inquires. Haud dubiè hoc unico verbo causam vicisti. Retractate Patres, quæ de hoc homine per incogitantiam scripsistis: de hoc homine, inquam; nam Wendrockius & Montaltius, mera sunt nomina; cum unus uterque sit Montaltius, Altimontius, Claramontius, Wendrockius, versâ dumtaxat togâ. Dixistis impostorem & calumniatorem: calumnias & imposturas recensuistis. Expungite, quæso: scribite ineptias & stultitias, somnia & deliria. Quis enim eum insanire non censeat, qui nullum

* *Pag. 143.*

Jesui-

Jesuitam esse dicat non ignarum Theologiæ, non hospitem in hac sacrâ facultate? Suarem, Vasquem, Molinam, Lessium, Ruiz, Bellarminum, de Lugo, aliosque innumeros, qui de re Theologicâ, multâ cum laude scripserunt, Theologos non fuisse? Veram Theologiam intelligo, inquires. Scilicet, Jansenianam, & Calvinianam. Sed hanc quoque Jesuitæ probè calluerunt; non quidem scientiâ approbationis, ut vocant; sed ut illam strenuè refutarent. Quod reverà multi, Annatus scilicet, Martinon, Stephanus Deschamps, Ripalda, aliique egregiè præstiterunt.

Arguis deinde Apologistam, eò quòd dixerit, injustè ac præter juris ordinem accusatum, admissi criminis, id palam negare posse; ac proinde accusatorem mendacii arguere. Quid verò hic reprehendas, reverà non video. An injustè insimulatum teneri dices, ad publicam occulti criminis confessionem? Quo jure? qua lege? at nisi neget, fateri censetur; & si neget, perinde est atque si injustum accusatorem mendacii & calumniæ arguat. Quòd dices, summâ cum fide doctrinam Jesuitarum à Montaltio repræsentatam, nec ullum Jesuitam tam stultum esse, ut hoc non intelligat; explosione ac libilis, non responsione, vel refutatione dignum est. Quoties ille falsitatis convictus est ab utroque Apologista, & Annato? qua fronte hæc scribis Wendrocki? plusquam meretriciâ. Quâ fide? plusquam Jansenianâ. Sed agnoscit, inquires, recentior Apologista, ita sentire Casuistas & Jesuitas, quemadmodum ipsos sentire Montaltius scripserat. Insignis nebulo & sycophanta! quasi verò plusquam centies idem Apologista de imposturis vestris questus non fuerit; dumque defendit à Jesuitis asserta, etiam à vobis affi-

ta & depravata non refutârît. Sic mendacium & calumnia, quibus Jesuitas prosequuti estis, justæ defensionis arma iis hæctenùs suppeditârunt. Quo eventu; omnes sciunt. Doctrina vestra damnata est: libri vestri confixi. Nec vos Societas laceffivit, nisi propter errores vestros: non quòd elatior hoc sæculo esset; sed quòd sine crimine tacere non potuerit, dùm Jansenianas hæreses serpere videret. Nec adeò impavidi estis, quin fulminis afflatum, vestrasque ruinas senseritis. Quòd nihil ab hominibus speretis; dare non possum. Quàm multos enim prensatis? incautos licet: quorum patrociniò tecti & fulti, Jansenismum propagare omni studio & curâ studetis. Nihil etiam ab hominibus vos metuere dicitis. In hoc non laudo: cum Vicarium Christi Romanum Pontificem, & Christianissimum Regem jure timere debeatis. Pontificias Bullas contra vos editas, & in Senatu Parisiensi solenniter receptas, hoc modo eludi posse creditis: sed ludum vestrum nemo non videt. Nec est, quòd dicatis, fore, ut grata posteritas fateatur, Christianum orbem vobis devinctum esse, pro Litteris illis vestris, contra Jesuitas publicatis. Immo damnabit posteritas satyras illas, mille scatentes erroribus: quas Romanus Pontifex, pleno censu, jure damnavit; & Senatus Regius Aquis Sextiis famosas, calumniæ reas, & bono publico perniciosas declaravit, manuque tortoris ultricibus flammis addixit.

**NOTA**

N O T A I I.

Exempla calumniæ Jesuiticæ.

Hic habemus titulum sine re, * umbram sine corpore, frontem magnificam sine reliquâ æde. Quis hujus tituli aspectu, non expectaret homicidia, adulteria, furta, sacrilegia, horrenda quæpiam, à Jesuitis, vobis per scelus & calumniam afficta? en quò res reducitur. Theologiæ Moralis auctor, id est, sincerus ille Molinæi discipulus & imitator, Baunio affinxerat erroneam illam sententiam; quòd liceret propter aliquod bonum temporale, ut vocant, vel spirituale, proximæ occasionì peccandi sese ultrò exponere; scilicet indiscriminatim: nec enim unam occasionem ab aliâ, unum bonum ab alio ullatenùs distinguit. Pater Caussinus negat hoc scriptum unquam à Baunio fuisse; ut reverà nunquam hoc scripsit; sed contrarium docuit tract. de pœnit. q. 14. Equidem Basilius Poncius, celebris & eruditus auctor, in appendice docuit, aliquem licetè posse sese exponere proximæ occasionì peccandi, quamvis se infirmum & fragilem esse sentiat; non quidem temerè & propter quemlibet finem; sed in quibusdam casibus rarò contingentibus, in quibus agitur de salute Reip. & Religionis bono. Pro hac sententia, 15. auctores adducit, eamque fusè & doctè suo more probare nititur. Secus tamen Jesuitæ ferè omnes sentiunt: at Baunius Poncio subscripsit. En tibi luculentum Jesuiticæ calumniæ exemplum. Jesuitis à vobis imposta fuerat erronea sententia; quasi temerè liceret, propter quodlibet bonum, quamlibet occasionem peccandi captare, Caussinus negat, à Baunio errorem illum doceri, qui

* Pag. 414.

opinionem Basilii Poncii sequitur. Hæc autem ab errore illo penitus discrepat. Quemadmodum erraret, quisquis generatim diceret, homicidium licitum esse; secus ille, qui assereret homicidium ad justam vitæ defensionem licere. Calumnia igitur Cauffini non fuit. Et verò innocentissimi & nitidissimi Patris memoriam vereri debueras. Sed hoc tibi cum hæreticis, familiaribus tuis, commune est, ut Sancta & Sanctos Viperino dente lacerare non cesses.

Præterea negavit Apologista, dixisse Baunium, occasionem illam *primò*, & *per se directè* captari posse. Instas: hoc dixit Poncius, cui subscribit Baunius. * Sed, ô bone, subscribit quantum ad rem, non quantum ad modum, quem reverà conceptis verbis excepit loco citato; idque non semel, quod tamen satis esset, sed terque quaterque. Et hæc est, ut dicis, calumnia Jesuitica. Et hîc exclamas, declamas, impingis mendacia Cauffino, Pinterello, Apologistæ: projectam hujus audaciam, impietatem, & perfrictam frontem declamatorie exaggeras; quem tamen ut ignavum, tardum, ac timidum, hac usque traduxisti. Quid verò hic peccavit, aut parentes ejus? quia Ambrosii exemplo docuit, posse aliquem à Deo motum, lupanar ingredi, ad subducendam satanæ prædam: quia Judittæ factum, post eundem Ambrosium, adduxit; quæ se, ut adultero placeret, ornavit, non turpi amore, sed religione ducta. Hæc sunt illius crimina.

Hujusmodi, inquis, † occasiones non fuerunt illis proximæ. Ineptissime mortalium! quasi verò de re ipsâ in se consideratâ non agatur; aut Juditta ipsa Holoferni occasionem proximam peccandi non obtulerit; & Ambrosius, aut solitarius alter, alicujus scandali, aliis id spectantibus. Præterea Castitatis donum, vel gratia non permittit, ut quis se in peccan-

* Pag. 415. † Pag. 416.

Q. di

di occasiones ultrò ingerat, quæ aliis proximæ censentur. Immò longè majorem curam adhibent: facitque Castitatis amor & gratia, ut eas omninò fugiant, nisi quando, inspirante Deo, de Reip. bono, aut tranquillitate Regni, aut animarum salute agitur. Quid ergo tam infanis declamationibus opus erat, Willelme? præsertim cum Apologistæ rem hanc planissimè & luculentissimè explanassent. Quid aliud, quæso, cavillari est? Et tamen hæc adducis in perpetuum Jesuiticæ calumniæ monumentum. Vah male cochleatum caput! calumnias tuas infulsis salibus condire dumtaxat voluisti. Sed sal tuum infatuatum est. Et cum alioquin Christianæ virtutes abessent; humanam saltem prudentiam, quam in *Villico iniquitatis* Paterfamilias laudavit, Lector tuus in te desiderasset. Sed in hanc quoque peccasti, & passim ubique turpissimè cæcûtis.

N O T A I I I.

Alia Calumnia Jesuiticæ.

AD Apologistas te remitto pro conciliatione Pinterelli & Brisacerii*. Neuter ab altero discrepat. Baunium uterque defendit; diversâ quidem ratione, sed utrâque legitimâ. Tu vide sis Apologistas: quorum dictis in hanc rem nihil addendum puto. Prætereà condono tibi tuum illud *mentiris impudentissimè*. Neque est, quòd dicas, Jesuitas conquestos esse, quòd inde duriùs & inhumaniùs à Montaltio habitati fuissent. Falleris mi homo, falleris. Hoc uno verbo Montaltius victoriam & triumphum Jesuitis cecinit. Is enim, cui alia probationis momenta deficiunt, ad probra verborumque convitia se convertit. Ne crede

* Pag. 416.

igitur,

igitur, lixarum illam calonumque vocem, *mentiris impudentissime*, valde ingratam Jesuitis accidisse. In eâ quidam Gallicam comitatem desiderarunt. Et hoc impudentissimam teneritudinem vocas: eodemque mucronis genere Jesuitas iterum transfadigis. Nec enim alius modus aptior est, inquis, ad ea refellenda, quæ centies & millies Jansenistis per fas & nefas Jesuitæ affinxerunt. Quid porro illud est? errores, hæreses. Quis nescit Jansenianam doctrinam erroribus scaterere? quis Catholicus hoc neget? nunquid illos Ecclesia non damnavit? Quid verò aliud? de lege veteri, inquis, quæ peccato favebat; de gratia sufficiente, quæ impedimento potius, quàm subsidio est; de Ecclesiæ defectu, quæ scilicet errores ad vitandum scandalum approbat; de contemptu Tridentini; de cæde sui ipsius; de motu interiore sequendo. Tam immanes, tam stultæ, tam absurdæ, inquis, calumniæ non aliter refelli merentur. Hoc verbulo res absolvitur, *mentiris impudentissime*. Sed Willelme, ad populum phaleras: quid quæso ex iis, quæ recensuisti, suâ probatione caruit? tabulis obsignatis vobiscum actum est. Non sunt calumniæ istæ; sed errores vestri. Immo, quod pejus est, si hæc denuò in disputationem vocentur, fatentes reos habebimus: & tu ipse in tuis hisce notis, eosdem errores defendis, ut jam sæpè monui, & iterum infra monebo. Sed his verborum involucris, & tricis apud mulierculas, quarum gratiam sollicitè captare solentis, & apud ignarum vulgus, vestra crimina defenditis.

Describis denique longum censum seu catalogum calumniarum recentioris Apologistæ. * Si primam excipiam, in quam per typographi negligentiam, menda irrepsit, in aliis nihil est calumniæ. Illam

* Pag. 417. & 418.

autem mendam facile corrigere potuisti. Ibi enim Apologista quinque propositiones Iansenii ab Ecclesiâ damnatas, ex quibus quasi totidem principiis, cæteros errores vestros deducitis, recenset; & tertiam propositionem appellat, quæ certè neminem latet, ac proinde eum latere non potuit. typographus igitur imprimere debuit, *ad merendum & demerendum sufficere libertatem à coactione.* Quod verò attinet ad alia capita, nullum est quod Apologista non probârit; aut ab aliis probatum non supposuerit; aut vi legitimæ ac necessariæ consequutionis ex principiis vestris non deduxerit. Vin' leviter percurramus? per me licet.

I. *Legum exteriorum nullam rationem habendam esse,* quando scilicet interiori motui gratiæ contrariæ esse putantur. Hæc est maxima 29. Abbatis vestri Sancygirani, in cujus verba jurastis.

II. *Motus inconsideratos, scilicet concupiscentiæ, esse peccata mortalia.* Hoc perspicuè à multis deducitur ex doctrinâ vestrâ. Quid enim, quæso, impediret? non turpe objectum sub mortali noxâ prohibitum, quod non deest: non libertas, quæ per vos cum necessitate sociatur: nihil ergo.

III. *Quandam fœminam, cum adulterium commisisset, dixisse in confessione, sibi gratiam defuisse.* Ita rem gestam narrat. Nec mirum: quis enim serid sese accuset illius criminis, à quo abstinere non potuit?

IV. *Consilium Arnaldo esse, abrogare Confessionem auricularem; aut saltem procurare, ut rarior sit, restituto scilicet pœnitentiæ publicæ usu.* Quis neget, hanc illius mentem esse? quid aliud liber illius clamat? quid ritus novus? Sed inquires: auricularem Confessionem etiamnum adhibet. Sed qui probè sciat, cum Exhomologesi stare non posse: ut Bagotius

gotius, in aureo Libro de hac re publicato, egregiè demonstravit.

V. *Jansenianos, ac proinde Arnaldum, Concilio Tridentino parum deferre.* Id constat ex maximâ 24. Sancygirani ductâ ex actis ejusdem.

VI. *Corrogari à vobis pecunias sub pretextu eleëmofynarum, adversus Ecclesiam Dei.* Quis hoc non videt? quis nescit insanos sumptus, quos ad promovendam factionem vestram, & defendendos ac propagandos errores vestros, jam à multis annis fecistis? capsula Chavigniana, cui, amabò, non innotuit? uno verbo, nullis sumptibus parcitis, ut novos profelytos faciatis; ut captetis hujus gratiam; illius operam, stylum, manum, industriam vobis comparetis. Est sanè, quòd Jesuitæ in hoc vobis cedant.

VII. *Fateri scriptorem Litterarum, esse se Theologiæ rudem.* Haud dubiè passim fatetur, se non esse doctorem: ut Epist. 3. *Quid est ergo, inquit, cur doctorum pugna nos inseramus, minimè doctores?* item Epist. 17. *Adversum me, inquit, nec Doctorem, nec Sacerdotem.* Quanquam nihil erat necesse, ut id, quod doctis omnibus compertum est, fateretur. Quis enim Theologus Montaltii Litteras legit, qui eum Theologiæ ignarissimum statim non judicet?

VIII. *Quinque Propositiones damnatas à vobis nihilominus defendi.* Quoties illas post utramque Bullam propugnastis, tum in Libris editis, tum in Thesibus propositis? quid aliud agit tuus ille Paulus Irenæus in suis Disquisitionibus contrà Annatum publicatis?

IX. *Abbatem Sancygiranum, reformandæ Ecclesiæ curam sibi demandatam divinitus, arrogasse.* Constat ex actis indicatis: tu vide sis in Reliquiarum lib. reliq. 1.

X. *Quod subnectis de famulo Jansenistæ cujuspiam, cui ab Hero persuasum sit, ut à Confessione, vel*

audiendo Sacro abstineat; exempli gratiâ dictum esse constat; in exemplis autem non requiritur veritas.

XI. *Juda illos agi spiritu, in corrogandis opibus.* De quo jam supra n. 6. Quid ni, ex operibus vestris vos judicemus?

XII. *Multi conjiciunt, consilium vobis esse, abolenda Eucharistia & Pœnitentia.* Hanc quidem, quia à Sacerdote absolvente remitti peccata non vultis; quod sæpè docuit Sancygiranus, ut constat ex actis: illam verò per non usum & defuetudinem, quam inducere cœpistis, ut habetur in actis, & patet experienciâ.

Reliquas, ut tu ipse vocas, calumnias, breviter perstringo. I. Lutheri exemplo in Sacerdotes incontinentes invehuntur; idque fortè eodem fine. Crimine ab uno disce omnes. II. *apud Regium-portum pauca Sacra sunt.* Hoc sciunt omnes. III. *Mira est Jansenistarum industria & calliditas, ad colligendas pecunias.* Quàm multis exemplis hoc probari posset? quid in hac parte vester Du Hamel præstiterit, satis compertum est. IV. *à Jansenistis irridentur vota.* Constat ex iisdem actis, & ex lib. *de Sancta Virginitate.* V. *Theodorus Beza amicus vester dicitur.* Quis enim neget, Jansenianas hærefes ad Calvinianas proximè accedere? sunt qui Jansenistas, Calvinistas molliores vocent. VI. *Quod D. Thom. aliosque Scholasticos & Canonistas Jansenius irriserit.* Norunt, qui legere sciunt. VII. *Quod contra Deiparæ cultum Montalms scripserit.* Multi refutarunt, ego supra breviter perstringi. VIII. *Hypocrisis vestra sugillatur.* Haud ab re: vixi Phariseorum tempore, insigniores hypocritas mundus habuit. IX. *Multa singularia dici possent, quæ reticentur.* Apologista facilè morem vobis geret: immò in hoc plurimi operam suam desiderari non patientur. X. *Docent Jansenista, ab eo qui est in statu peccati mortalis, Sacra*

sine novo peccato audiri non posse. Quid aliud clamat Aurelius vester? XI. Cursitarunt Jansenista per domos, perlatâ in Gallias Innocentii Bullâ, ut aliquid patrocini sibi conciliarent. Univerfa Lutetia testis est. Illud quod habet de Montaltio à meretricibus spoliato, jocus est: serid tamen Apologista affectatam illam severitatem carpit; quæ, nisi maturè occurratur, non modicam stragem allatura est. Quid ad hæc Willelme? tuum illud, *mentiris impudentissimè*, statim opponis: mones Iesuitas, ut flagitia vestra publicent: futurum alioqui illorum silentium, luculentum maledicentiæ testimonium. Sed quàm multa hætenùs publicarunt atque probarunt? errores vestri Principem locum tenent. Quoties ab illis exprobrati? quoties à vobis obstinatè defensi? Hortaris demùm ad pœnitentiam; ut saluti suæ consulant. Bene est: sed cave, reponant optimi Patres; *medice cura teipsum: Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo*. Rem dubio procul lepidissimam! Iansenista apud Iesuitas pium concionatorem agit. Sic Diabolus è sacro pulpito ad populum sacra verba fertur olim fecisse.

In Epistol. decimam sextam,

N O T A I.

Calumnie Jesuiticæ de Eucharistia.

Quantas Tragœdias in hoc proscenio excitas, ut Arnaldum, Sancygiranum, Regio-portuenses defendas! * & quidem primo loco, tantùm non juras, Iesuitas decimâ sextâ illâ Montaltii Epistola, in horrendis & apertis calumniis conclusos fuisse. Quænam

* Pag. 441. & 442.

verò sunt illæ calumniæ? de pecuniâ à Iansenio clam subductâ: de multis opibus ab illo famoso Rectore brevi tempore congestis. Quod autem pro responsione Iesuitas ad clarissimos S. Rochi & S. Pauli Parochos remittis; perinde facis, atque si Iesuitas à Pilato ad Herodem remitteres. Quid enim aliud dicerem? intelligenti pauca. Præterea de Monialibus Regio-portuensibus, earundemque Rectoribus. Adde, si vis, de Arnaldo & Sancygirano aliisque sectæ vestræ Principibus. Fraus Iansenii ex citatis litterarum ejusdem autographis demonstratur. *Hæc pecunia, inquit, Collegii est, non mea: eâ tamen uti possum tam occultè, ut in rationibus, qua quotannis à me redduntur, nihil appareat.* Vestræ illæ Moniales vestris erroribus addictissimæ sunt. Prædicti Rectoris avaritia omnibus patet. Arnaldus & Sancygiranus nihil antiquius habuere, quàm ut Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta abolerent: immò ille ex certis loquendi formulis, non levem suspicionem præbuit sinistrae Fidei. Vbi enim dixisset in lib. de *Frequenti Communione* 3. part. c. II. eodem cibo nos in Eucharistia pasci, quo Sancti in Cœlis pascuntur (quod certè si ab alio diceretur, bonum sensum præferre posset; pascuntur enim in Cœlis Sancti, Christi visione, amore, possessione; nos verò in Eucharistia, Sacramentali receptione;) subnectit deinde; quantum à clara visione Fides abest, tantum modum, quo in terris manducatur, ab eo differre, quo in Cœlis comeditur. Igitur Fide tantum in terris manducatur: quod Calvinianum est. Non levem inde, crede mihi, suspicionem Arnaldus præbuit: præterquam quòd per non usum & infrequentiam id unum eniti visus est, ut Sanctissimum illud Sacramentum aboleret.

Frustrà autem loca multiplicas ex Arnaldi libris.

Ut

Ut enim hæretici clarissima Scripturæ verba, quæ transubstantiationem significant, in alio pravo sensu intelligunt, cur idem de prædictis locis, suspecti præsertim hominis, dici non potest? tergiversantur hæretici, immò sibi non rarò contradicunt, ut suos errores obducto fuco meliùs tegant. Alia loca ex libris Sancygirani à Sancta Sede damnatis congeffisti; ac proindè nullius momenti esse, nescire non potes: præterquàm quòd illa loca varias interpretationes, præsertim à suspectis auctoribus, recipere possunt. Cæterùm illa omnia, quæ calumniæ & maledicentiæ tribuis, non modò clarissimis & omni exceptione majoribus probationibus sæpè ac sæpiùs expositis, verùm etiam vocè publicâ eâque constanti nituntur; si tamen Filæi narrationem excipiam: quam licèt reprobendam esse non dicam, eam tamen auctore suo stare velim, viro scilicet intaminatæ fidei, integerrimæ vitæ, acerrimo Janseniani nominis hoste, de re Catholicâ benemeritò, ac proindè digno, quem litteris Apostolicis Innocentius X. compellarit. Doles præterea ab Apologista dici, Regium-portum cum Genève fati convenire. Sed, ni fallor, mitiùs quàm par sit, loquitur, cùm Regius-portus altera Geneva haud prorsus ineptè dici potuisset. Nempe Lemana una, Calvinistarum est; altera verò Parisina, Jansenistarum; quos molliores Calvinistas jure dixeris.

Arnaldi errores, errorumque principia in responsione ad Epistolam 16. * Apologista recensuit: scilicet, gemina loca de Eucharistia, quæ jam supra indicavimus; deinde errorem illum de duplici Ecclesiæ Capite, Petro & Paulo; tum id, quod dicit, eo qui modò viget, pœnitentiæ usu, generalem hominum impœnitentiam foveri; denique rem perfectissimam Deoque gratissimam fore, differre usque ad mortem

* Pag. 443.

sacram

sacram Communionem. Hæc Arnaldi esse non differis. Ex his autem Apologista rectè infert, suspectam faltem esse Arnaldi fidem circa Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum: ex his, inquam, non quidem singulis, sed majore istorum parte; qui reverà satis communis est loquendi modus. Et verò ex duabus primis sententiis & quintâ, prædicta suspicio directè deducitur: ex quartâ faltem indirectè, ut ajunt. ad illum enim antiquæ pœnitentiæ, si Superis placet, ritum, diuturna Eucharistiæ omissio pertinet. Tertiam sententiam tu ipse approbas. Vbi enim hæc Apologistæ verba retulisti, dixisti, inquit, *Petrum & Paulum esse geminum Ecclesiæ verticem, qui unum efficiant*; reponis illico, *quid tum?* Hanc igitur sententiam, quantumvis à S. Sede damnatam approbas. Quamobrem verò? quia Arnaldo majorem fidem, quàm Romano Pontifici habes. Et hinc tamen sequitur totius Apostolicæ firmitatis, & *infallibilitatis*, ut vocant, excidium. Esset enim Ecclesia sine visibili capite: quia nisi caput unum fit, nullum est. Hinc totius Ecclesiæ ruinæ; ac proinde Sacramentorum & Eucharistiæ destructio.

Non erat igitur, quod Apologistam tam supinæ inscitæ insimulares, & tam imperitum Dialecticæ esse diceres. Ex tribus sententiis vestris directè sequitur, Arnaldi fidem circà Eucharistiam suspectam esse; ex duabus aliis, idem indirectè faltem sequitur. Quod autem attinet ad librum *de Frequenti Communione*, contendunt reverà Jesuitæ à S. Sede damnatum esse. Cùm enim damnarit Innocentius Decreto, suo, an. 1647. die 24. Januarii, libros omnes, in quibus damnata illa *de duplici Ecclesiæ Capite* opinio continetur; & cùm ea in libro illo contineatur; negari non potest, quin eam ob causam pro damnato habendus sit: præter innumeros alios errores, quos continet, & quos frustra re-

cenferem; cùm id jam à multis, qui contra librum illum scripserunt, egregiè præstitum sit. Si alios legere non vacat, in *Reliquiis* aliquot errorum syllabum habes: ex quibus, ni fallor, quivis faciliè videre poterit, quàm perniciosus liber ille sit.

Quod autem dicis, *totam Societatem ad sceleris ac demerentia cumulum pervenisse*; quod incredibile, inquis, & horrendum est: rectè mones, incredibile esse; immò & horrendum; hoc scilicet ab homine, non Catholico quidem, sed qui se pro Catholico gerat, impudenter adstrui. Quamobrem verò? quia Arnaldi fidem circa Eucharistiam, ex prædicto libro nonnulli ejusdem Societatis homines suspectam esse scripserunt. Quasi verò publica vox non sit, & res per se ipsa non constet. * Mox descendis ad quinque Propositiones Jansenii ab Ecclesia damnatas; quas negas, à vobis unquam defensas fuisse. Scilicet, in sensu illo ridiculo, à vobis excogitato, cujus reverà patientes non sunt: in quo, scilicet, damnatas tantummodò fuisse dicitatis; licèt eas in proprio sensu, qui est Jansenii, (in quo jam constat, ex Alexandri Constitutione, damnatas fuisse) etiamnum, ut ante, defendatis. Nec est, quod Thomisticam doctrinam vobis vendicetis. Nunquam enim Thomistæ propositiones illas defenderunt, immò expressè damnarunt, ut ab Annato sæpè, at præsertim Libello singulari demonstratum est. Sed de hoc argumento paulò fusiùs infra agendi locus erit; aut saltem tu ipse præbebis occasionem.

Cæterùm ægerimè ferre videris, quòd Jesuitæ Arnaldum sæpiùs petant, & Dandillium germanum ejus fratrem, necnon Agnetem sororem utriusque. Velles elogia, profusasque laudes. Vin' breviter dicam? duæ causæ sunt, propter quas Arnaldos Jesuitæ paulò acriùs excipiunt. Prima est Catholicæ veritatis

studium.

* Pag. 444.

studium. Cùm enim errores publicarent, tum ab aliis, scilicet, à Jansenio & Sancygirano acceptos, tum à se ipsis excogitados; Jesuitæ sine crimine tacere non potuerunt. Altera causa, justæ defensionis jure nititur. Quid enim ab iis contra Societatem JESV attentatum non fuit? hic avitus hujus familiæ mos est. Quis nescit, quantum ab antiquo illo Arnaldo, primario in *Parlamento Parisiensi* avvocato, quantum à feris, quasi dixi feris, nepotibus Societas identidem passa sit? Non desunt alia quædam nomina Jesuitis infauſta, ut Paschasiorum, & Paschalium: immò inter Berullistas, tùm ferè ab initio, nonnulli fuere Jesuitis satis iniqui. Illos omnes tuis partibus temerè arrogas Willelme: sed averſum aliquorum animum omnibus tribuere nolim. Nominibus parco: vix tamen facere possum, quin eum appellem, qui, ad instar fabulosæ apud Æſopum corniculæ, Volumen non parvum edidit, contra *Regularium Privilegia*; in quo libellum Patris Joannis Bagotii, *Defensionem*, scilicet, *juris Episcopalis* adversùs anonymum, identidem carpit, & doctrinam in eo contentam afficit graviore notâ. Sciat tamen, prædictum libellum post diligentem discussionem à legitimis Judicibus adhibitam, sanum & illibatum judicatum fuisse; ac proinde approbatum, ut Romæ, ex Typographiâ Reverendæ Cameræ Apostolicæ iterum prodiret. Hoc ipsum pro Libelli defensione & plenâ illius auctoris *antiregularis* refutatione, homini Catholico sufficiat. Quis enim Catholicus non assentiatur? absolvit Roma Bagotium: insons igitur est. Non deerunt tamen, qui alios illius corniculæ navos liberali manu abstergant; cum iis reverà non careat. Cur *fabula corniculam* appellem, nihil est quod dicam, apud eos, qui hominem norunt: apud alios verò, quibus ignotus est.

est, dicere, quid juvat? quomodo literas scit, qui eas nunquam didicit?

N O T A I I.

Precatiuncula de Sanctissimo Sacramento.

NOta est historia. Abbas Sancygiranus breve opusculum scripserat, sic inscriptum, * *Le Chappellet secret du Tres-sainct Sacrement*: quod cuidam moniali Regio-portuensi, Agneti scilicet à S. Paulo, dignissimæ Arnaldorunæ forori attributum esse voluit: Sancygirani tamen esse, omnes conveniunt; quod vel ex ipsis *Reliquiis* constat. Cum autem prædicta precatiuncula multa absurda, *impia, blasphema, scandalosa, temeraria, suspecta, erronea* contineret, à Censoribus Sorbonicis damnata est anno 1633. die 18. Junii. Et ne Doctores censuræ subscriptos ex iis esse putes, qui levioris armaturæ vulgò dicuntur; appello nomina: sunt autem Duvallius, Le Clerc, Charton, Bachelier, Hallier, Morel, Cornet. Vides, ni fallor, Proceres illius ordinis. Nec est, quòd Jansenii & Fromondi approbationem obtrudas. Nam qui sibi nequam, cui bonus? damnati auctores nullius auctoritatis sunt. Non est etiam, quòd censuram illam Parisiensem, occultis quibusdam simulatibus inter Archiepiscopum N. & Episcopum Lingonensem intercedentibus tribuas; ac dicas, Hallerium aliosque censuræ factæ pœnituisse. Hæc enim sunt mera somnia & aperta mendacia; eadem facilitate rejicienda, quâ asserta. Præsulibus illis iniquè injurius es; quibus simultatis vitium temerè imponis; Archiepiscopo præsertim, cui manifestam injustitiam asfingis. Celsores prædictæ scriptiunculæ doctrinam, à Censoribus minime intellectam, ad pessimos sensus

* Pag. 444. 445. 446.

sus ab iisdem detortam fuisse asseris ; idque exemplo Tauleri & Rusbrokii confirmas. Sed illi pessimi sensus ita proprii sunt, in suspecto potissimum auctore ; ut Censores, non dicam eximios, quales isti fuerunt ; verum etiam minus oculatos fallere non possint.

Scio, à vobis negari, scriptiunculam illam à Sancygirano compositam fuisse ; sed ab Agnete moniali, Arnaldorum sorore. Hæc pro more fingitis. Mentiri, parvi negotii res est apud vos. veritati bellum indixistis. Nec minus erratis in quæstionibus facti, quam in quæstione juris. Tu vide sis *Reliquias*, & discussionem ejusdem scriptiunculæ anno 1635. editam. Ex his enim facile constabit, Sancygiranium verum illius auctorem esse & defensorem ; item à celeberrimis Sorbonicæ Facultatis Doctoribus damnatam fuisse ; & à Sede Apostolica proscriptam & in perpetuum suppressam. Quæ, ni fallor, quidquid dicas, magna satis ignominia censenda est.

Porro Sancygiranium hoc loco ad cælum extollis ; insignem atque illustrem Theologum, nec non eruditissimum scriptorem vocas ; laudas ingenium, virtutem, eruditionem, lumen & robur, invictam scripturam, aliaque id genus. Quid-ni alterum Patriarcham vestrum laudares ? multiplici sanè à vobis elogio coronatus est. Unum habeo, quod reponam ; auctorem scilicet illum damnatum fuisse ; in vincula propter errores, quos seminabat, conjectum ; innumeris probationibus convictum ; authentica acta ejus doctrinæ & vitæ in Collegio Claramontano Parisiis asservari ; ejus *Maximas*, ut vocant, perniciosas & heterodoxas ; *Theologiam familiarem* confixam ; *Regiam Quæstionem*, impiam & horrendam ab omnibus habitam ; alterum librum, qui *Aurelius* inscribitur, innumeris

meris erroribus scaterere (nescio quis, supra centum in brevi syllabo raptim recensuit); librum de Sancta Virginitate, à Sorbona, infami notâ inustum; Literas, erroris veneno infectas. Omitto librum de Frequenti Communione, qui licet Arnaldi nomen præferat, Sancygirano tamen à plerisque jure attribuitur. Cæterum blasphemias præfatæ scriptiunculæ frustra recenserem, cum jam hoc munere alii egregiè defuncti sint.

N O T A I I I.

De miraculis in Portus-Regii Monasterio editis.

Illa miracula non suspecta modò, sed prorsus rejicienda sunt, quæ in confirmationem erroris superbè jactantur*; idque majore, ut ais, incitatione & eloquentia. Et ut fidem facias, locum Montaltii elegantissimum, ut putas, exscribis: quamvis, ut verum fatear, Grammaticæ legibus vix congruat; & difficile sit, in eo congruam verborum constructionem invenire. Regii-portus Monasterium à Jesuitis oppugnatum fuisse dicis; quòd, scilicet, sex Arnaldi sorores cum anu matre, & totidem Andillii fratris filia potiore & nobiliore illius partem facerent; & quòd ibidem Arnaldus, Sacerdotis & Confessarii partes agens, opportunum suis studiis secessum nactus esset. Sed quid hæc ad Jesuitas? qui de Portu-Regio nunquam cogitassent, nisi Janseniana hæresis ibidem suam quasi Genevam constituisset; ibique venenum pararetur, quod deinde per totam Galliam spargendum erat. Nemo est inter Catholicos, qui hoc ignoret. Cùm igitur huic Monasterio gravissimæ calamitates,

* Pag. 447. 448. 449.

tates,

tates, inquis, imminerent; Deus ancillis suis hominum violentiâ pressis, inusitatâ miraculorum per sacram spinam ratione subvenit. His miraculis, ut fidem facias, testem adducis Dominum *Paschal*, tibi, ut ais, magnâ necessitudine conjunctum. Montaltium, vel Altimontium, vel Claramontium, aut Claramontanum addere debueras. Nihil enim his tribus conjunctius. Nisi verba sacra profanare vererer, dicerem: *& hi tres unum sunt.* Immo à Vicariis Parisiensibus, & ab Archiepiscopo Senonensi, hæc miracula approbata fuisse asseris: hinc populi eò confluentis concursus, & ingruentis procellæ mitigatâ tantisper asperitas: At Senonensis testificatio suspecta est. Parisiensis, vix fortè certior.

Ferri tamen nequit, quod sæpiùs dicis, omnes (scilicet Jansenistas) in eam opinionem venisse; hoc divino testimonio Regio-portuensium innocentiam vindicatam fuisse; cum etiam aliquot miracula post Alexandri VII. Constitutionem edita sint: hunc fuisse totius Galliæ sensum: immò in illo circumstantiarum concursu, hæc miracula à Deo patrari non potuisse, nisi ad confirmationem veritatis. Sciebam, vos eò spectare: hoc extremum fuit desperationis vestræ refugium. Undique vobis pericula ingruerant, & inferbantur clades. Roma gemino fulmine vos perculerat: Rex Christianissimus suis Declarationibus, Episcopi suis Decretis, Parlamentum solemni Bullarum acceptatione, Sorbona suis Censuris, aliaque id genus extremam ruinam vobis minabantur. Confugistis ad miracula: res pro votis successit. Hinc populi, novi motus; hinc novi animi; hinc opportunâ occasione arreptâ, famosas Litteras contra Sorbonam, Jesuitas, Ecclesiam publicastis: quæ cum à S. Sede damnatæ fuissent, à Parochis libellos famosos, ali-

quot

quot ab Episcopis Censuras contra Jesuitas extorfi-
stis. Sed pro his quoque, Petri iudicium expectate.
Interim, nescio, quonam pacto, errores vestros à
Sede Apostolica damnatos, non modò, ut antes,
mordicus teneatis, ac defendatis; verùm etiam Di-
vino miraculorum testimonio confirmare præsuma-
tis. Quasi verò Deus errorem testificari possit. Nec
te pudet insolentissimæ blasphemix? hæc tracto
pressius, ut te ad aureum libellum pro defensione
veritatis Catholicæ, à doctissimo Theologo, simul
& illustrissimo & piissimo Præsule, in hanc rem
editum, remittam: quem etiam ad te latinitate
donatum, cum aliis brevi missurus sum. Quid enim
de hoc argumento melius ac nervosius scribi, vel ex-
cogitari possit, non video: ne semper eadem more
vestro repetamus. Cum nihil addi possit opusculo
numeris omnibus absoluto; non est, quòd hic diutiùs
hæream, hac brevi responsione contentus. Errare
quidem humanum est; errores verò pertinaciter de-
fendere, diabolicum; errores demùm pertinaciter
defensos Divino miraculorum testimonio velle tueri,
plusquam diabolicum.

Sic Ecclesiæ auctoritatem infringere voluistis;
pejore certè, quàm Calvinistæ, vel Lutherani exem-
plo. Calvinus hæreses suas publicavit, quas cum
Romanus Pontifex damnasset, hujus dumtaxat au-
toritatem negavit, adhæsitque erroribus suis. At
vos non modò hæreses defenditis, ac pro viribus
diffunditis, & Romani Pontificis auctoritatem pes-
fundatis, scriptisque libellis refutatis; verùm etiam,
quod nunquam Calvinistæ fecere, ed venistis au-
dacix, ut miraculis doctrinæ vestræ veritatem, & Con-
stitutionum Apostolicarum falsitatem & injustitiam,
demonstrare præsumatis. Vereor ne vestro malo

R.

Deus

Deus effrænam hanc juxta atque impiam licentiam coërceat. Sacra illa spina, cui publicum cultum privatâ auctoritate detulistis, contra solitam Ecclesiæ formam, vos etiam pungit. Agnes illa virago celebris, & Sancygirani manu diligenter culta, vestri gynæcei facilè princeps, ad reddendam errorum suorum rationem à supremo Judice vocata est: ille famosus Magister, cujus terribissimus stylus vestris erroribus diu servire voluit, qui priùs, summâ cum laude, justitiæ & veritati servierat; ejusdem lictoris, vel apparitoris operâ, ad supremum Dei tribunal tractus est: Arnaldus ipse gravissimæ ægritudinis monitu, ad relipiscentiam invitatus. Cavete igitur, ne sacra illa spina, Christi sanguine, cui summam laudem, summumque præmium invidetis, dum eum pro communi omnium salute fusum fuisse negatis; Cavete, inquam, ne spina illa Divino illo sanguine cruentata vos pungat. Utinam ulcus tandem aperiret, & virulenta errorum sanies efflueret! Cavete, ne tam frequentis populi concursus vos obruat; ne miracula ipsa infidelitatem vestram tandem aliquando arguant. Nam in hoc præsertim genere, Deus supremus vindex manum operi admovet; causam suam agit; & sacrilegos mortalium conatus elidit.



In

In Epist. decimam octavam,

Dialogus Wendrockii.

Hic paucis te volo Wendrocki. Ea, quæ à Montaltio scripta sunt in duabus postremis Epistolis, de summi Pontificis auctoritate; apud omnes Catholicos constare dicis. Ille tamen intolerabiles errores admisit; negavitque, Romanum Pontificem eâ auctoritate pollere, qua in quæstione facti aliquid *ex Cathedra* pronunciare possit sine aliquo erroris periculo; etiamsi factum illud ad Fidei controversiam pertineat. Hinc tum Innocentium X. tum Alexandrum VII. errasse vultis, in damnatione Jansenii. Idem de Calvino, Luthero, Pelagio, aliisque hæreticis dici posset. Igitur si quis negaret, Arium, Macedonium, Nestorium fuisse hæreticos; nihil diceret, quod contra Fidem esset, & quod omnes *Catholici* cum tuo Montaltio dicere non possint.

Deinde recensere summorum Pontificum errores, quod Montaltius præstitit, eosque multis exemplis locupletare, quod tibi facile esse testaris*; valdè, ni fallor, Catholicum est. Errorem Honorii centies inculcastis; qui per fraudem Græcorum in acta Concilii sexti universalis insertus fuit. Fateor, aliquot Catholicos, in hoc etiam deceptos fuisse; ac præ cæteris Toletanum illum Conciliorum coactorem; qui Honorium, non modò à Synodo damnatum, ut hæreticum, asserit; sed per intolerabilem negligentiam & hallucinationem, ab Agathone Pontifice eundem *Anathematizatum*, in Epistolâ, non ad Synodum,

* Pag. 495.

fed ad Cæſarem Constantinum ſcriptâ, fuiſſe, teſta-
tur. Quod à veritate alienum eſt. Ad pœnam libri.
Lege Agathonis Epistolam: in eâ nihil tale invenies.
Immò ſi hoc feciſſet Agatho, ſibi manifeſtè contra-
dixiſſet. Nempe *Apoſtolica*, inquit, *Chriſti Eccleſia*, Ro-
mana ſcilicet, à *tramite Apoſtolica Traditionis nunquam er-
ravavit, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit: Dominus
fidem Petri non deſecturam promiſit, qui confirmare fratres
ſuos juiſſus eſt: quod Apoſtolicos, Pontifices meæ exiguitatis, in-
quit, prædeceſſores, confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cog-
nitum.* Sed Honorius ejus anteceſſor extitit, paucis an-
te annis: igitur ſi eum, ut hæreticum, damnaiſſet, ſibi
apertè contradixiſſet.

Præter rationes, quas apud Bellarminum & alios,
qui Honorium defendendum ſuſceperunt, videre po-
teris, ſuggero meam conjecturam, quæ mihi veriſſi-
millima videtur. Pro quo ſuppono 1^o. acta hujusmodi
Conciliorum apud Græcos manſiſſe, immò linguâ
græcâ exarata fuiſſe: quod Imperatorum auctoritas
facilè obtinuit. Nec ullum eſſe puto, qui hoc neget.
2^o. Græcis familiare fuiſſe, acta Conciliorum adultere-
rare. In hoc ipſo Concilio actione 3. acta quintæ Syn-
odi, cum legerentur, depravata fuiſſe Patres de-
prehenderunt. Idem de multis aliis dictum ſit, ut Bel-
larminus, & alii demonſtrant. Immò ipſas Epistolas
Romanorum Pontificum adulterare veriti non ſunt.
3^o. Suppono, in hac ſexta Synodo damnatos & anathe-
matizatos fuiſſe, ut hæreticos, plerofque Orientalis
Eccleſiæ Patriarchas, ſcilicet, Sergium, Pyrrhum,
Paulum, Constantinopolitanos; Cyrum Alexandri-
num, Macarium Antiochenum. 4^o. Suppono Græco-
rum Eccleſiam à Latinâ ſemper alienam fuiſſe; im-
mò cum eâ de Primatu ſæpè contendiſſe, ut nemo
negat; & præcipuum tolli, quo Latina ſuperior eſt, ſi
eidem

eidem concessa, in personâ Petri, infallibilitatis prærogativa eriperetur. His igitur positis, cum Græci viderent, tam multos Patriarchas suos, ut hæreticos, à Generalibus Conciliis, & ab hac præsertim sexta Synodo damnatos, quod reverà iis Sedibus Patriarchalibus maximo probro vertebatur; similem notam inuiferunt Honorio; non quòd errasset, ut constat ex ejusdem Epistolis; nec enim ipse duas in Christo voluntates, duas operationes unquam negaverat: sed quòd aliquam saltem occasionem præbuisse videntur, cum disputationem illam, nondum satis discussam, & vocum illarum usum, ex quibus disputationes illæ ortum duxerant, prohibuisset; donec re maturè discussâ, hæc controversia ab Ecclesiâ terminaretur. Hac igitur occasione arreptâ, quasi ipse Monothelitarum partibus favisset; cum tamen controversiam non decidisse, sed silentium duntaxat partibus imperasse dicendus sit; hac, inquam, occasione arreptâ, Græci Latinorum æmuli, ne Occidentis Patriarchæ ab errore immunes essent, Honorii nomen in acta sextæ Synodi, immò & octavæ, & in Litteras Adriani, inter alia hæreticorum nomina, per summam calumniam inseruerunt.

Disputas deindè de gratia efficaci cum tuo illo familiari in Molinistas propensiore: ac dicis, eandem esse Jansenistarum & Thomistarum de divina gratia sententiam. Sed profectò erras Willelme. Jansenistarum sententia eadem est, quæ Jansenii, quod vestri non negant: Jansenius autem in explicanda gratia efficaci Thomista non est. Nempe tom. 3. lib. 8. c. 1. expressè dicit, sententiam Augustini, scilicet, Iprensis, nec cum Thomisticâ, nec cum Jesuiticâ convenire, sed aliquid ab utraque sumere. Capite 2. ait, nonnulla à recentioribus prædeterminationis auctoribus

adjecta esse, quæ cum Augustini doctrina nullo modo congruunt: & inter Augustinianos & Prædeterminantes, non modicam discrepantiam esse. Nec ullum omnino locum ex universis Augustini scripturis proferri posse, qui talem prædeterminationem tanquam Christi gratiam præ se ferat. Et post multa contra prædeterminationem physicam dicta, sic concludit: Qui medicinalem Christi gratiam in talem prædeterminationem transformant, ex vi scilicet cause primæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profectò Aristotelici, quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio, universam Augustini doctrinam inexplicabili confusione perturbat. ab Augustini sensibus remotissima est. Idem centies eodem capite Jansenius inculcat. Tum cap. 5. affert alium modum componendi gratiam efficacem cum libertate. Item tom. 2. lib. de gratia primi hominis & Angelorum, toto cap. 20.

Præterea, ut Jansenius negat, se Thomistam esse; ita Thomistæ, Janseniani nec esse, nec dici unquam voluerunt. Hinc damnant Ianseniana dogmata; negant, mandata Dei esse impossibilia; interiori gratiæ nunquam resisti; libertatem à coactione ad meritum sufficere; Christum pro cunctis non esse mortuum; Hominem, in naturâ integrâ, divino adjutorio ad superandas tentationes non indiguissè; ignorantiam invincibilem peccato non eximere, aliaque id genus. Deindè prædeterminationem physicam in ipso actu secundo collocant; ne, si in actu primo, libertatem lædat. Quod quomodò ipsi explicent, reverâ indagare hujus loci non est. At Ianseniani gratiam suam victricem in actu primo considerant, quatenus illa actus secundi causa est. Accedit, quòd Thomistæ libertatem in indifferentiâ potentiæ constituunt; Iansenistæ in ipsomet voluntario, quatenus coacto opponitur. Hinc Thomistæ ultrò fatentur, necessitatem

tem antecedentem illatam voluntati, libertati nocere; Jansenistæ ultrò concedunt, actum necessarium, modò ipse voluntarius sit, liberum esse. Thomistæ negant, cum ipsa prædeterminatione dissensum voluntatis, etiam per divinam potentiam, componi posse; at Jansenistæ ultrò fatentur, si major vis cupiditatis accedat, gratiam illam, alioqui minoris cupiditatis victricem, vinci posse. Thomistæ ad omnes actus liberos, etiam naturales, prædeterminationem requirunt; Janseniani ad supernaturales dumtaxat: & hi quidem tantùm in naturâ corruptâ, illi etiam in integrâ. Quid plura? remitto te non modò ad Anatum, qui tabulis consignatis luculenter demonstravit, Thomistas Jansenianos non esse; verùm etiam ad ipsos Thomistas, qui reverà sciunt quid ipsi teneant, v. g. ad P. Sebile, P. Nicolai, P. Martinez, &c.

Ad alias discrepantias orationem converto. Vis, à gratia efficaci dissentendi potentiam homini relinqui, illi omnino similem, qua quis sese ex altissimo ponte in fluvium præcipitem agere potest, vel nasum sibi abscindere, vel oculos sibi eruere, vel parentem amantissimum interficere, vel nudus per urbem incedere. Hæc, si nescis, potentia physica est, cum impotentiâ morali conjuncta. Nempe difficultas, ut hæc fiant, moraliter insuperabilis est; id est, nunquam accidit, ut superetur. Ita gratia victrix per te moralem quandam impotentiam dissentendi conciliat. Utrùm Jansenii mens hæc fuerit, erunt sanè, qui dubitent. Quicquid sit, hac de re non disputo, cum, id ne fiat, Pontificio Decreto cautum sit. Dico tamen, hanc doctrinam Thomisticæ repugnare. Nempe *infalibilitatem* dumtaxat moralem efficaci gratiæ conciliat. Præscindis enim à scientia Dei; &, ut gratiam per seipsam

seipsam præcisè vis efficacem esse, sine ullo respectu ad divinam scientiam, ita & infallibiliter suum effectum habituram. Igitur cum necesse sit moraliter effectum habituram, necesse est moraliter dumtaxat infallibilem esse. Sed futuri effectus infallibilitas non moralis, sed physica, immò metaphysica est; ita ut repugnet, illam, qua talis est, cum dissensu unquam componi. Igitur non salvas summam illam infallibilitatem gratiæ efficacis. Præterea, cum dicis, potentiam ad dissensum manere; haud dubiè vim ipsam dissentendi non intelligis, sed ipsammet voluntatem, quæ dissentendi potentia est; licèt in sensu tantum diviso, ut ajunt, dissentire possit, quatenùs scilicet cupiditas ipsa non invaluerit. In hoc dupliciter erras, Willelme, licèt magnus Apollo videri velis. Primò quidem, vis, voluntatem, accedente dumtaxat pondere ferri; ita, ut validiori continuò cedat. Hinc si divinæ gratiæ vis cupiditatem superet, divinæ gratiæ motioni obtemperat. Si verò cupiditas prævaleat, ab eâ ferri se sinit. Igitur nihil est, quod voluntas præstare queat; nulla illius libertas est; nihil ejus arbitrio relictum; ad instar alterius potentiæ se habet, quæ sui juris non est; & frustra laudi eidem vertitur, quod transgredi possit, & non transgrediatur; facere mala, & non faciat. Nec modò libertati hæc doctrina repugnat, sed experientiæ & communi hominum sensui. Quis enim vel in se identidem expertus non est, nonnulla fieri aliquando, quæ tamen longè facilius esset omittere?

Alterum verò est, in quo peccas; quòd scilicet potentiam illam dissentendi, voluntatem ipsam esse velis; quamvis omnibus ad dissentendum necessariis minimè instructam; scilicet cupiditate potentiore. Sic cum ipsa cupiditas prævalet, adest quidem po-

tentia

tentia resistendi, id est, ipsa voluntas; non tamen instructa illo adiutorio, sine quo cupiditas superari nequit. Hinc nunquam ad utrumque, *posse* proximum est. Unde manet læsa libertas: quæ sanè merè voluntarium non sonat, ut definivit Innocentius; sed illam vim electivam supponit, quâ, positis ad utrumque prærequisitis, quodlibet eligere possit. Nec juvat illud, quod aperis, Augustinianæ doctrinæ arcanum; divinam scilicet gratiam cum efficaci & omnipotenti Dei voluntate conjunctam, cujus instrumentum est, ita efficacem esse, ut nunquam effectu suo careat. Nihil porrò per te istud est, nisi quòd Deus, cognito cupiditatis gradu, validiorem gratiam impertitur: voluntas enim validiori semper cedit. Hinc res eòdem recidit. Longè igitur meliùs faceres, si morali necessitate contentus, quam ex iis, quæ adduxisti, exemplis, rectè deduxeram, alterum explicationis modum rejiceres. Sed Jansenianis dogmatis imbutus, ab iis tantillum discedere, religioni ducis.

Quanquam etiam, ut verum fatear, illa moralis necessitas rem hanc non explicat: cùm & infallibilitatem illam consensus futuri non salvet, & innumera importet absurda, quæ nemo admittat. Nam primò, manifestæ experientiæ repugnat. Nempe aliquando per divinam gratiam tentationi resistimus, licèt longè facilius nobis esset, eidem succumbere; & aliàs illi succumbimus, licèt eidem resistere non difficile esset. Est quidem aliquando maxima divinæ gratiæ suavitas, quâ fit, ut facilè etiam difficilia & ardua superemus: at nunquam illa suavitas tanta est, ut moralem necessitatem conciliet. Secundò, non deerunt multi, qui putent libertati, scilicet morali, prædictam necessitatem non parum officere. Voluntas enim quasi rapitur, & parum de suo confert. Tertiò,

quis

quis ferat, in viatore, quoties cupiditati succumbit, ac proinde peccat, non minùs difficile esse, cupiditati resistere; quàm sit cuiquam, sibi oculos eruere, nasum abscindere, Parentem amantissimum occidere? uno verbo, quàm sit cacodæmoni, non peccare, non odisse Deum, &c. omitto alia, quæ cuilibet rem hanc consideranti venient in mentem.

Pergo errores tuos cursim adnotare. *Primò*, non tantùm moralem necessitatem inducis, verùm etiam physicam, eamque antecedentem. Cùm enim aliqua præcepta, sine divinâ gratia servare physicè homo non possit, quòd scilicet supernaturales operationes injungant; quotiescumque violantur, divinæ gratiæ adjutorium abest, ut dicis; ac proinde aliquid desideratur, quod ad potentiam physicam pertinet. Igitur est mera impotentia ac necessitas physica. Sed hæc libertatem destruit: & de Fide est, ad merendum & demerendum, libertatem à necessitate requiri. *Secundò*, Vis nunquam voluntatem prædominanti ponderi, vel affectioni posse resistere, quamdiu hæc est prædominans. Igitur potius agitur, quàm agitur; & meram indifferentiam passivam habet, quæ rebus creatis etiam inanimis communis est. *Tertiò*, vis, voluntatem indifferentem ad opposita, non posse ad unum determinare sese; nec, omisso altero, aliud eligere. Nisi hæc optionis facultas admittatur, ubi quæso libertas? *Quartò*, vis, voluntatem liberè agere, licèt nulla cognitio præluceat illius objecti, in quod ipsa fertur. *Quintò*, vis, hominem ad divinam gratiam sese disponere, ac fieri paratiorem ad illam recipiendam; subigendo scilicet & cohibendo cupiditatis impetum, jejunando, erogando eleemosinas, &c. Quasi verò hæc per divinam gratiam non fiant, ac homo sese ad gratiam, naturæ viribus disponere valeat.

valeat. *Sextò*, dicitis, deesse aliquando gratiam, quæ ad hoc, ut aliquis tentationem superare possit, necessaria est. *Septimò*, vis ideò dici voluntatem dissentire non posse, quia firma & constans non dissentiendi voluntas est. Quod ridiculum est. Quasi verò simul esse possint voluntas non dissentiendi & ipse dissensus. Quæritur Willelme de actu primo in quo voluntas non dissentiendi nondum est, utrùm gratiæ voluntas dissentire possit. Sed video, quid velis: nempe ipsamet gratia per te est illa firma & constans voluntas non dissentiendi. Uno ictu omnia solvis; sed libertas quoque sic dissolvitur. *Octavò*, dum deest necessaria ad dissentiendum cogitatio, vis tamen adesse dissentiendi potentiam. Itane verò, Wendrocki, *posse proximum?* mira narras. *Nonò*, vis potentiam ad opposita, ad assensum scilicet & dissensum, etiam cum altero oppositorum componi; ita ut dum actu est assensus, sit potentia ad dissensum, scilicet in sensu composito; nempe, sicut in cane famelico offam vorante est potentia abstinendi. *Decimò*, vis errorem Molinistarum esse, quòd dicant, eandem gratiam, scilicet quantum ad *entitatem*, animis similiter affectis illapsam, hunc convertere, illum non convertere. *Undecimò*, vis, quod metu fit, id tantum nobis prodesse, quòd inde minùs mali simus. *Duodecimò*, vis, humanos omnes conatus, à Charitate non profectos, vitiosos esse. *Decimò tertio*, vis illos esse vicinissimos Charitatis actibus; licet nulla sit proportio inter actus naturales & supernaturales. *Decimò quarto*, vis omnes justificatos, per gratiam sanctificantem, ipsum *posse* in actu primo habere: *posse*, inquam, ad illa agenda, quæ alioquin gratiæ actualis adjutorium desiderarent; v. g. ad graves tentationes superandas. *Decimò quinto*, demùm vis illas aliquando deesse gratias,

rias, sine quibus majores tentationes superari non possunt. En tibi Willelme Jansenianæ doctrinæ compendium.

Frustrà autem Thomistæ vultum induis, qui purus putus es Jansenista. Quibusdam verborum involucris errores tuos tegere voluisti: sed rerum istarum peritis minimè impones. Commune est hæreticorum vitium, fucum facere. Coluber tortuosus gyros agit, & latet in herba. Mentiris nomen, patriam, doctrinam: totus ex fraudibus & dolis, ex calumniis, & mendaciis compactus es. Sancygiranus vobis suo præluxit exemplo, qui ascititia nomina suis operibus præfixit, Aurelii scilicet, Seguenotii, Arnaldi, immò & Agnetis à Sancto Paulo. Sic tu modò Wendrockius, modò Montaltius, vel Claramontius, vel Paulus Irenæus; uno verbo, Regio-portuensis Proteus. Sed, ut scurram agis & histrionem; quid mirum, si varios vultus induis, scenam mutas, & multas personas sustines? semper tamen Jansenianus, ac proinde hæreticus. De hac materiâ plura disputarem: sed ut Pontificiis Decretis paream, calamum venerabundus sustineo.



PAULI IRENÆI
DISQUISITIONES.

TYPOGRAPHVS Lectorem monet, Wendrockium paci consulentem, duas extremas Epistolas Notis locupletare noluisse; non tamen alienum visum, tres Disquisitiones Pauli Irenæi ad hanc rem non parùm facientes subnectere. Sed cui paci consulis Wendrocki? vellem, ingenuè significasses. Facies, si quando lubeat. Interea festino errorum spicilegio, quibus tres istæ Disquisitiones scatent, huic provinciæ à me susceptæ coronidem imponam; levioere manu rem hanc discutiam, & in tuas Disquisitiones paulò mitiùs inquiram. Annati erit, quem in his vehementer impugnas, iusta refutatione injustum aggressorem repellere. Is profectò est, qui auxiliari dexterâ non indigeat: te illi valdè commendatum velim. Tuas Disquisitiones appello, quia reverà tuæ sunt: nomen dumtaxat mutasti: & qui Notis Epistolas Montaltii locupletare dicitur Willelmus Wendrockius, idem easdem Paulus Irenæus Disquisitionibus illustrare conatus est. Sed ad rem venio.

Erro-

Errores in prima Disquisitione contenti.

Primò nulla est, inquis, *a* nec fuit unquam in Ecclesia, Jansenii hæresis; nullum hæreticum dogma: quidquid scilicet damnatum est, privati odii, & occultæ maledicentiæ fuit. Damnarunt tamen duo Pontifices hæreses Jansenianas.

Secundò, præter quinque propositionum controversias, reliqua omnia quæ habet Jansenius, ab omnibus liberè defendi ais, *b* ut Catholica. Controversias vocas, propositiones hæreticas ab Ecclesia damnatas: Catholicas etiam dicis, alias opiniones, vel errores Jansenii; ut, de gratia sufficiente, de lege antiqua, de ignorantia invincibili, &c.

Tertiò, Honorii sensum à Synodis 6. 7. & 8. & à duobus Rom. Pontificibus damnatum fuisse asseris articulo 2. *c* Quàm temerè! ut mitissimè loquar. Pergis: potest quis sine culpa negare, quinque propositiones esse Jansenii & in ejus sensu damnatas; ibidem. Sed nonne Constitutio Alexandri contrarium declarat?

Quartò, nunquam Episcopis, nunquam Rom. Pontifici, inquis art. 3. *d* In mente fuit damnare illam sententiam, quâ contineri sensum Jansenii arbitrantur, qui ejus damnationi non consentiunt. Sed hoc Bullæ Alexandri repugnat. Jansenius, inquis ibidem, Thomistarum sententiam de divinâ gratiâ omninò sequitur. Sed hoc sacro Ordini injuriosum est, & menti Pontificum repugnat. Nulla est gratia sufficiens in sensu Molinæ, id est, quæ sit verè sufficiens, & quæ posse proximum conferat; ibidem. Hoc videtur hæreticum.

Quintò, deest justis conantibus & volentibus gratia verè sufficiens, necessaria ad hoc, ut proxime possint

a Pag. 510. *b* Pag. 511. *c* Pag. 512. *d* Pag. 514.

possint tentationem urgentem superare, artic. 4.
a In hoc tamen sensu verè damnata est prima Propositio. Nulla est gratia omnino sufficiens, scilicet in actu primo, præter efficacem; ibidem. Hoc etiam est hæreticum. Non habent iusti in actu primo omnia necessaria ad hoc, ut proximè possint operari, & carent aliquo necessario: ibidem. Hoc etiam ab Ecclesia damnatum est.

Sextò. Omnis gratia est efficax, ad eum scilicet effectum, ad quem à Deo ordinatur, *b* art. 5. Cùm igitur alium effectum habere non possit, nec vires ad illum habeat, non potest dici, quòd ipsi resistatur, nisi ratione proprii effectus, ad quem refertur: sed quantum ad hunc, omnis gratia Christi per te efficax est; igitur interiori gratiæ nunquam resistitur: quod est damnatum. Eidem gratiæ, quantum ad entitatem, non potest homo obtemperare, aut resistere; ibidem. Hoc damnatum est in 4. Propositione.

Septimò. Ad merendum aut demerendum, non requiritur libertas indifferentiæ, quâ scilicet voluntas possit transgredi, vel non transgredi; facere mala, vel non facere; *c* artic. 6. Quis neget hoc esse damnatum? Hoc eodem articulo, idem bis aut ter inculcas: sequenti verò nugaris circa hæresim Semipelagianorum; & in Historiâ turpiter hallucinaris.

Octavò in artic. 8. concedis tantum Christo velleitatem, non voluntatem moriendi pro omnium salute. Item concedis *d* sufficientiam, non verò oblationem pretii, pro communi hominum redemptione. Non est igitur omnium Redemptor. Item dicis Christum esse mortuum pro promerenda gratia omnibus reprobis quibus aliquando collata est. Quid igitur de

a Pag. 516. *b* Pag. 517. *c* Pag. 518. *d* Pag. 519.

de parvulis in utero parentum extinctis? Quid velis satis perspicio: scilicet, remotam quandam illis potentiam concedis, quam nunquam ipse Calvinus negavit. & eò res cadit, ut pro reproborum salute non magis Christus mortuus sit, *quam pro Diaboli*, ut fateatur ultrò Jansenius. Immò, dum dicis, reprobos rejectos fuisse; reprobationem positivam ante prævifa demerita intelligis. Sic vobis cum Calvino probè convenit.

Nondò art. 9. multa effundis, *a* vel effutis, absona & heterodoxa. v. g. Jansenium rectè sensisse (:tu videris:) ac unam dumtaxat *gratiae efficaci* assertionem ab illo adstrui: *Thomistica* inquis. Falleris, ex ipsius Jansenii confessione; ut supradictum est. Calvinianam igitur asseruit. At, inquis, Innocentius & viva vocis oraculo & scripto declaravit, se *questionem de auxiliis* non attigisse. Sed quid hæc ad errores & hæreses Jansenii? frustrà enim Thomistas vestris partibus accensetis; qui vos ut damnatos hæreticos rejiciunt. Quòd aliqui ex Patribus Berullistis & Canonicis Regularibus, *b* ut dicis, vobis faveant, & victricem gratiam vestram defendant; vix crediderim: si tamen res ita se habet, ut dicis; dolendum sanè; non Jesuitarum, quibus in hoc, nec feritur, nec meritur; sed potiùs illorum gratiâ, qui sese damnatis erroribus temerè implicarunt. Quod dicis, maximam Cleri Gallicani partem à doctrina Molinæ abhorrere; tibi profectò mortalium mendacissimo nullatenùs credendum. Abhorrent à Jansenio, illiusque sensu; non decepti, nec per ignorantiam, ut garris; sed re maturè discussâ atque perspectâ. Nec obstat illa Thesis apud Patres Oratorii defensa. *c* Quid in hoc genere ausi sitis, & passim attentaveritis; non est, quòd dicam. Itaque nemo negat, gratiam efficacem; quæ

a Pag. 520. *b* Pag. 521. *c* Pag. 523. *d* scili-

scilicet libertatem non lædat, indifferentiam actus primi non tollat, & effectum infallibiliter sortiat. Jesuitæ rem suo modo explicant, Thomistæ suo: utroque licito & Catholico. Vos neutrum sequuti estis: non Iesuiticum, quem horretis: non Thomisticum; quia Thomistæ constanter asserunt, errare Iansenium, & ab ipsis non stare. Calvinianum igitur modum tenetis; ac proinde prorsus hæreticum.

Demùm, articulo decimo, *a* concludis, nullam esse hæresim Jansenianam: Chimæram esse, in quam Vaticana fulmina tanto impetu vibrata sunt: quodd Ecclesia Jansenii sensum damnet, quem vos approbatis, non rei, sed nominis dissensionem esse: Rom. Pontificem & Episcopos hallucinari, utpotè, qui Jansenii sensum non intelligant: meram quæstionem facti esse, non juris: Jansenistas interpretatione dumtaxat Jansenii à Rom. Pontifice dissidere: quæstionem facti ad Fidem pertinere non posse; *b* licet in re divinæ Fidei: Fidem enim Scripturâ & Traditione niti. Sed ubi Ecclesia? ubi sancta Sedes? quæ viva est regula. Nulla est igitur hæresis Jansenii; quidquid secus definiat Ecclesia: nulla pertinacia; licet Jansenistæ Jansenii errores & sensum obstinatè defendere pergant. Quis, amabò, Calvinianus eodem modo & jure loqui non possit? defendimus enim, inquit, Calvinum in sensu Augustini: quis dicat, sensum Augustini esse damnatum? Ecclesia sensum Calvini damnat, non Augustini: quæstio facti est, quæ ad Fidem non pertinet, & in quâ Ecclesia errare potest. Si tibi fas est ita loqui; cur Calvinistæ pariter fas non erit? Igitur, si nulla est hæresis Jansenii; nulla quoque Calvini. Confugis iterum *c* ad tuam gratiam efficacem. Sed hæc damnata est: *Tua* scilicet; non

a Pag. 523. *b* Pag. 224. *c* Pag. 225.

Thomistica, non Jesuitica; Tua inquam, quæ reverà Calviniana est. Dicis præterea, eum *delusum* esse, qui Jansenianos à Thomistis abstrahere nititur. Thomistæ igitur ipsi delusi sunt, qui vos, erroresque vestros *anathematizant*.

Addis, Jansenii propositiones ab Ecclesia damnatas, excusare ac benignè interpretari æquum esse & Catholicum. Concludis, rem hanc ad religionem non pertinere; levem esse ac facilem controversiam; non de re, sed de verbis *equivocis*; de actu primo & secundo; de potestate proximâ; de sufficientis gratiæ significatione. Tota lis, inquis, semi-horâ decidi posset, & continuè sua Ecclesiæ tranquillitas reddi; nisi malignitas & potentia Jesuitarum obstitissent. Non est, quòd hæc refutem Willelme; cum errores manifesti sint, quos vel indicasse & exposuisse apud Catholicos, idoneæ refutationis loco est. Semi-horam dumtaxat postulas ad terminandam litem? Bipedum nequissime! quot, non dicam, horas, sed annos, in hoc opere posuistis? quantam librorum vim edidistis? quâ industriâ, quot sumptibus, quâ fraude, quot intercessionibus, Jansenianam causam defendistis? quàm multa scripto & verbo tradidistis, Romæ, Parisiis? uno verbo, quid non tentastis ad Jansenianam Hæresim seminandam, propagandam, promovendam? sed Deus consilia vestra dissipavit; & Spiritus assistens Ecclesiæ hanc pestem avertit. Nec est, quod potentiam Jesuitarum accusetis. Jurarem, tantam à vobis non credi. Sed non est malum in civitate, quod Jesuitæ non fecerint. Si Polonia bello flagrat; si tumultuatur Germania; si Belgium ardet; si fervet Anglia; si Jansenii errores damnantur; Jesuitis omnia tribuenda. Quis, cui sanum sinciput, cachinnis temperet?

DISQUI-

DISQUISITIO
SECUNDA.

Nullos esse in Ecclesia hæreticos; nullum Jansenii sensum ab Ecclesia damnatum * (; licet hæc anno 1657. scripseris, & 1658. edideris, ac proinde post editam Alexandri VII. Constitutionem;) Jansenii doctrinam sanam esse (; cujus assertionis veritatem, in prima propositione damnata, demonstrare conaris;) immò eidem Jansenio doctrinæ & probitatis laudem ab omnibus etiam adversariis tribui; per summam impudentiam & hæreticam perveraciam, in hac Disquisitione asseris. Res ista adeo trita est hæcenus, atque discussa, ut jam actum agere nolim. Nihil enim asseris pro defensione primæ propositionis, quod centies refutatum & obtritum non fuerit. Relego dumtaxat tua vestigia, quasi per summa capita, & cursim, ut supra, errores tuos adnoto.

Primò articulo, dicis, † auctoris sensum ex verbis erui; ac proinde cum voces illæ, ex quibus prima propositio constat, tam vagos habeant significatus; ad vitandos ambiguitatis errores, ad certam notionem figendas fuisse; exemplo Geometrarum, qui terminos imprimis definiunt. Cur, amabò, crambem recoctam toties regeris? diversos illos sensus, vestris columnis affixos, sæpè ac sæpius obtrulisti; & obtulisti Innocentio X. antequam propositiones vestras damnaret: immò hic columnas vestras Decreto suo disjecit. Quid igitur supremi Judicis sententiæ non acquiescitis? Laudas Geometrarum morem in definiendis nominibus. Rectè: audio, te non mediocre Geometram esse; quanquam in hac parte nullum hæcenus specimen edideris. Geometrizare debueras;

* Pag. 226. † Pag. 527.

bueras, Montalti, Wendrocki (nam quocumque tandem te nomine appellem, nihil refert), non verò Theologizare: ne futor ultrà crepidam. Tum varias notiones subnectis, quibus illæ voces primæ propositionis subjacent. Egregius profectò nomenclator: at miserrimus Theologus, & apertus hæreticus.

Articulo secundo, constituis * notiones singularum vocum; ut deinde ex iis, verum, germanum Jansenii sensum, in sequenti articulo eruas. Sed in multis turpissimè hallucinatis. Est enim hæc prima propositio: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentem, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiunt.* Illud *justis*, de omnibus non vis intelligi. Neque reverà intelligi debet. Quis, vel Logicus, nescit, propositionem, ut vocant, indefinitam, in materia contingenti esse particularem? Vis deinde, illud *conantibus & volentibus* intelligi de conatu per gratiam (: esto:) eoque imbecilli & invalido ad plenum effectum, id est, ad præceptum servandum. Non tamen, ut dicis, voluntas resistit prædicto conatui, seu prædictæ voluntati: immò, quantum est in se, enititur præceptum servare. Nec etiam gratiæ resistit; non illi, quam habet, cui consentit per conatum illum, ad quem ipsa refertur; non alteri, quam non habet. Hinc video, quantum ineptias; & rerum istarum ignarus sis. Quod autem gratia illa, per quam voluntas conatur, † sit gratia sufficiens Thomistica; dici non potest: cum reverà sit efficax ad istum conatum, & insufficiens ad plenam mandati Divini observationem. Quod dicis, gratiam sufficientem Molinisticam illam esse, præterquam nihil aliud est necessarium, ut homo actu velit, & operetur; à veritate alienum est: cum sit illa, præ-

* Pag. 529. † Pag. 530.

ter quam nihil aliud est necessarium, ut homo proximè possit velle, & mandatum servare.

Illud *impossibilia* significare vis, a deesse sufficientem & proximam potestatem servandi mandata. Facile annuo. Illud *presentes vires* intelligis b de viribus quas justis habent in eo statu, quo invalidè conantur. Esto. Illud *deest* satis notum, inquis; quia homini *gratia* sine illius peccato subtrahi nequit. De habituali hoc loco non agitur, quæ justis non deest: igitur de actuali; non de illâ, ex quâ prædictus conatus procedit, quia hæc etiam non deest; igitur de illâ, quæ deest in actu primo; quæque si adesset, potestatem sufficientem & proximam constitueret: sed hæc non subtrahitur per peccatum, quod in actu primo nondum esse censetur. Video; quid tibi velis: subtrahitur, inquis, in pœnam peccati originalis. Jam te simiam esse probas. Igitur etiam peccatur in eo, quod necessariò fit, si hæc necessitas à primo illo peccato profecta est. Hi sunt errores vestri. Denique illud *gratia* significat efficacem. Ridiculè: agitur de actu primo, de *posse* proximo; igitur de gratia sufficiente.

Inde sic concipis istam propositionem articulo tertio: c *Aliqua Dei præcepta quibusdam hominibus justis conantibus & volentibus per gratiam* (:rectè huc usque:) *excitantem* (:esto:) *Thomistico sensu sufficientem, sed ei renitentibus & infideliter volentibus* (:ridicule: illa gratia est efficax in ordine ad proprium effectum, qui est conatus ille; nec à Thomistis pro sufficiente habetur; nec illi voluntas resistit, ut dixi; & ille infideliter non vult, qui vult, quod potest:) *non sunt possibilia, eâ potestate cui nihil desit*, (scilicet in actu primo: optimè, & omninò juxta mentem Jansenii:) *deest quoque illis gratia efficax agendi* (:non illa tantùm, verùm etiam sufficiens:) *quâ possibi-*

a Pag. 531. b Pag. 532. c Pag. 533.

lia fiant, ea potestate, quae complectitur omnia ad agendum necessaria. Non agitur de necessariis ad agendum, sed de praequisitis ad agendum, quibus potestas illa proxima completur: nec in alio sensu, damnata est illa propositio, nisi quia peccanti & mandatum violanti, potestatem proximam & completam non peccandi, seu non violandi mandatum, negat. Et verò damnari non potuit Jansenius, eò quòd dixerit, actu peccanti gratiam efficacem deesse; quis enim hoc negat? igitur eò quòd dixerit, actu peccanti gratiam sufficientem & potestatem proximam non peccandi reverà deesse. Nec te pudet, in re tam clarà, tam ineptè cavillari?

Hinc sensus Jansenii duo complectitur, ut tu etiam fateris. Primum est, quòd peccanti desit gratia efficax. De hoc non est quaestio; quia nemo dissentit. Alterum est, deesse gratiam plenè ac verè sufficientem, & completam ac proximam potestatem non peccandi. Ad primum restringis Romanam censuram: in quo reverà hallucinaris, cum in alterum cadat. Erras etiam in eo, quod dicis articulo 4. * sensum Jansenii in hac Propositione non esse proprium, sed improprium. Nam propriè significat hæc Propositio, quibusdam justis volentibus & conantibus per gratiam, deesse potestatem proximam, & gratiam plenè sufficientem ad servanda aliqua Dei præcepta. Quis non videt, hunc esse proprium hujus Propositionis sensum? At cuncta hæc Jansenius admittit. Igitur in Jansenii sensu, id est, in eo, quem admittit, hæc Propositio damnata est. Dubito, inquires. Sed nullum profectò dubium, tum rei perspicuitas, tum Ecclesiae judicium relinquunt.

Doles, multos falsos sensus hæreticos affectos esse Jansenio; † & primò quidem, sensum Calvinii, qui volebat, Dei præcepta semper esse impossibilia omni-

* Pag 534. † Pag, 551. bus

bus justis. Somnias Willelme: omnes Calvini errores Jansenio Jesuitæ non imputarunt; sed aliquos. De illo tamen, quem dixi, negari non potest. Negavit enim Calvinus, justo præceptum violanti adesse potestatem proximam non violandi; & gratiam illam plenè sufficientem; quam monstrosam & chimæricam Calvinus æquè ac Jansenius appellavit. Nemo etiam, negat, gratiam Calvinianam eandem esse ac Jansenianam. Gratia Calviniana, inquis, destruit libertatem, non Janseniana. Utraque, mi homo, destruit in actu primo indifferentiam, utraque conciliat necessitatem antecedentem. undè Calvinus, longè peritior Dialecticus, libertatem destrui rectè intulit. Voluit autem Jansenius prædictam necessitatem libertati minimè repugnare. Unum errorem Calvinus admisit, scilicet contra Fidem; duos Jansenius; alterum contra Fidem, alterum contra rationis lumen. Dicis, hanc esse inauditam Calvini sententiam, fictitiam, fabulosam, ex Jesuitarum cerebro natam. Sed ut video, longè adhuc turpiùs cæcûtis. Si enim Calvinus voluit, præcepta Dei esse impossibilia omnibus; igitur multò magis aliquibus: si semper; igitur potiore jure aliquando. Quis ex universali particulare non deducat? Et hoc fabulam Jesuiticam vocas. Tuæ sanè factioni malè consulis, quam pertinacium hæreticorum esse hæctenus creditum est; hominum tamen; quanquam humanitatis aliquando expertium. At modò periculum est, ne quis bestiarum esse dicat, qui te sic delirare intelligat, ac cæcutire.

Deinde Jansenio affingitur, inquis, quasi dicat, justis conantibus & volentibus fideliter, præcepta Dei impossibilia; * cum tamen eos intelligat, qui à gratiæ suavitate dissentiant. Cujus, amabò, gratiæ? non illius quæ deest; ut patet. Nemo enim resistit hosti,

* Pag. 536.

nisi reipsâ sit: alioquin cum chimæris & hircocervis pugnaret. Igitur gratiæ quæ adest, id est, imperfectæ illi, quæ ad conandum impellit. At conantur juxta mensuram gratiæ, quam habent: neque hæc gratia seorsim sumpta ab aliâ efficaci, alium effectum habere potest. * Annatinum sensum mox refellis; ac dicis primò, homines transgredi præcepta, sed non ex defectu gratiæ; nam defectus gratiæ efficaci non est causa peccati. Imponis Annato, nequam: dicit enim Annatus, in Iansenii sensu, impotentiam servandi præcepta esse ex defectu gratiæ; scilicet plenè sufficientis, quæ posse proximum conferat. Negas hoc? unde igitur est? à voluntate, inquis. O ignorantia monstrum! quòd præceptum transgrediantur, à voluntate est: quòd verò non possint præceptum servare, à voluntate esse nequit. Nempè illa potestas proxima constituitur, per gratiam in actu primo consideratam, & per ipsam voluntatem, instructam de reliquo debita cognitione, cæterisque prærequisitis. Igitur quamdiù voluntas ipsa existit, non stat per voluntatem, quo minùs sit potestas proxima; sed per gratiam ipsam, quæ per te plenè sufficiens non est. Igitur ridiculum est, quod dicis, impossibilitatem illam à voluntate proficisci. Quod autem dicis, omnes Thomistas huic potestati proximæ refragari; falsissimum est. Equidem illi suo modò explicant; non tamen illam potestatem negant, ut fatetur ultrò Montaltius Epist. 2. Illud porrò conantibus non negat Annatus extendi posse ad plenum illius gratiæ, per quam conantur, effectum.

Sed quæso te, quomodò excusas Iansenii mentem, juxta quam, etiamsi adsint cætera adjutoria, † nihilo magis homines bonum velle possunt, quàm cæcus videre, claudus currere, beatus peccare, si gratia effi-

* Pag. 537. † Pag. 538.

cax absit? quod de actu secundo, non de primo dictum esse contendis: nam cæcus, inquis, caret internâ videndi facultate. At similiter, qui caret gratiâ plenè sufficiente, & potestate proximâ, caret internâ agendi facultate, id est, non habet potentiam completam agendi. Innuis comparandum potius esse cum homine, qui est in tenebris. Quod reverà falsum est: quia tunc oculus habet omnia, quæ ex parte potentix se tenent, & deest tantummodò affectio, * quæ ab objecto per lumen, vel cum lumine profecta, organo potentix imprimitur: sed esto, demus, ita esse. Quis neget, oculum sine lumine videre non posse? pari modo, quis neget voluntatem, sine gratia plenè sufficiente, non posse agere? erravit in hoc Jansenius, ac proinde ab Ecclesia damnatus est. Quod nemo Catholicus negat. Tu verò, dum errorem excusas, errores multiplicas. Vis Thomisticè locutum esse. At Thomistæ Jansenii doctrinam non admittunt, sed anathematizant. Et tam malè distinguis actum primum à secundo, ut rem minùs intelligere videaris. Dicis, otiosorum hominum esse, † disputare de illâ potentia benè agendi in actu primo consideratâ. Sed eam negare, hæretici est. Illam porrò locas in summo gradu. Utinam in debito: in quo scilicet sit plenè sufficiens, proxima, & completa. Vis, nunquam in actum prodire sine gratia efficaci. Optimè: quis hoc negat? si enim in actum prodeat; illa eadem, quæ in actu primo conferebat posse, confert deinde agere in secundo, & dicitur efficax: si verò non prodeat; indè sufficiens tantùm dicitur. Sed hæc centies explanata sunt. Nec, ut dicis, gratia habitualis sine actuali constituit potentiam proximam servandi præcepta. Nec Jansenius actum primum satis distinxit ab actu secundo. Nempe, cum gratia illa efficax, sit causa; quis non videt,

* Pag. 538. † Pag. 539.

ad actum primum pertinere, sed cum infallibili respectu ad secundum? Nec tantum unum recenset discrimen inter suam & Thomisticam sententiam de divina gratia: nec eum Thomistæ in Thomistarum album adscribunt; quia Iansenianam gratiam à Calvinianâ nullatenus differre vident.

Fateor, vocem illam *deest* à Iansenio * ita usurpatam esse, ut gratiam *deesse* voluerit, sine ullo peccato, etiam originali. Nempè hominem in statu naturæ integræ plenâ libertate gaudentem, alio adiutorio non indigere affirmat. In quo se Pelagianum probat. At in naturâ lapsâ, inquit, indiget quidem gratiâ ut habeat potestatem proximam agendi; caret tamen in pœnam peccati originalis; & hoc non obstante, ipsi imputatur, quod malè agat; licèt non habuerit omnia necessaria, ex quibus posset non malè agere. Quod Calvinianum est. Igitur, quidquid obgannias, Iansenius vult, aliquando *deesse* quibusdam justis gratiam plenè sufficientem, & potentiam proximam servandi præcepta. Quod subnectis de gratia orandi, † ambiguum est. Certum enim est, sæpè hominem non orare, cum tamen orare deberet. Vel igitur tunc habet gratiam plenè sufficientem orandi; (negabis opinor, quia istam gratiam non admittitis:) vel non habet: at cur iis succenses, qui hoc Iansenio exprobrant? Argumentum verò illud rancidum, quo Iansenius ad nauseam probare conatur, *deesse* gratiam servandi præcepta, ex eo, quòd illam à Deo flagitemus; centies solutum est. Nempè eam sæpè Deus hac dumtaxat lege dare statuit, ut priùs petamus; petendî verò gratiam ultrò ipse dat, ne res procedat in infinitum. Deinde petimus uberiores & potentiores gratias, quibus nostri cordis durities fu-

* Pag. 541. † Pag. 542. *deest* & *deesse* bigatur;

bigatur; petimus illas, quæ agendi facilitatem concilient; petimus illas quas Deus efficaces fore prævidit. Vides quàm miseriter vestrum illud corruat argumentum?

Concludis denique, * intolerabile jugum vestris imponi, quo Theologorum fides opprimitur, conscientia vexatur. Quid porro illud est? ut scilicet Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. admittatis, agnoscatisque, errasse Iansenium, & quinque propositiones in ejus sensu damnatas esse. Sed, inquis, quid hoc ad Fidem? Nonne benè dixeram, quia Samaritanus, quia hæreticus es tu? Sed assignetur, inquis, Iansenianus ille sensus. Quoties assignatus fuit? Ille est, quem ipsa propositio præfert, & quem verba sonant. Nec enim alius mos fuit in Ecclesiâ, damnandi propositiones. Hic etiam ludis, nebulo, in re tam seriâ. Cùm sint, inquis, septem sensus, si quem eligam ex septem, sex ex illis insensos habebō. Pergis deinde in jocos impiis, seu veriùs blasphemis. Iansenius, inquis, in genere dumtaxat erravit: at quid sit error in abstracto, & in genere; dici non potest: genus enim sine ulla specie esse non posse, Logici docent. Quàm frigidè! quàm ridiculè! quasi verò Ecclesia propositiones speciales Iansenii non notarit. Subnectis tamen, illam in horrendam perturbationem & caliginem, dum certorum hominum studiis indulget, præcipitatam fuisse. Quid pejus à Calvino, vel Luthero exspectare posset? quæ unquam vox magis hæretica? caliginem, errorem, perturbationem exprobras Ecclesiæ? Doles, † à Iesuitis procuratum esse, ne tota hæc causa, auditis utrinque partibus, præcis nominum quæstionibus, constitutis dissensionis *capitis* (capitibus dicere voluisti) in legitimo

* 8ag. 543. † Pag. 544.

gitimo

gitimo iudicio disceptaretur. Sed quibus, amabò, scribitis, Errones famosi? an Scythis & Lapponibus? quis enim Europæus nescit, concessum vobis fuisse, ut verbo & scripto causam quinque Propositionum usque ad nauseam defenderetis? nulli sanè industriæ pepercistis, nullis laboribus, nullis sumptibus, nullis intercessionibus: ineptias vestras centies inculcastis. Præterea, de quo legitimo iudicio intelligitis? quid de Sanctâ Sede teneatis, omnibus compertum est. Cuncta hæc unicâ responsione facilè diluam, si dicam quod res est; scilicet, vos puros putos hæreticos esse.

DISQUISITIO

TERTIA.

Hæc Disquisitio Annatum præsertim petit: plena responsio ad ipsum spectat; quanquam hæc usque ad satietatem, Ianseniani hæretici obtruserint. Ego cursim, ne quid omittam, vestigia tua relegam, personate Paule; aut, si vis, Willelme Wendrocki; aut, fortè meliùs, Ludovice Montalti: quemcumque enim istorum compellavero, perindè est: propono mihi quoddam Iansenismi individuum vagum. Paragrapho 2. dicis, * voces vestras, nec ad Episcopos, nec ad Summum Pontificem, aspirare; cum id Iesuitæ præpediant. Sic accusas Romanum Pontificem, quòd vos inauditos per summam injustitiam damnarit. De Episcopis ab re conquereris: multos enim habes vestris partibus nimis adictos. Senonensis, & Convenarum, tibi alios indicabunt.

* Pag. 545.

Para-

Paragrapho 3. tuos Jansenistas, Augustinianos vocas, * scilicet Ipreses: quos ab errore, hoc tuo argumento, vindicas. Gratiæ efficacis dogma ad omnes bonos actus necessariæ, Catholicum est: at Janseniani nihil aliud in quinque Propositionibus adstruunt: igitur nullum dogma quod non sit Catholicum adstruunt. Tum addis, ad Fidem non pertinere, utrum Jansenii sensus damnari queat: saltem illum damnari non posse, quem Jansenii esse tenetis. Ad Fidem non pertinet? Ain? hoc tamen Alexander VII. declaravit & definivit, & Jansenii sensum damnavit. Utri credendum, Alexandro, an tibi? Sed ad argumentum quis facile non respondeat, in quo omnia, quæ assumuntur, falsa sunt? *Dogma gratiæ efficacis Catholicum est, Calvinianæ & Jansenianæ, nam una eademque est: nego hanc majorem. In quinque Propositionibus Janseniani tantum adstruunt gratiam efficacem: nego minorem. Nam in illis agitur de plenè sufficiente, quam negatis; de libertate, quam destruitis; de communi omnium redemptione, quam irridetis. Egregium sanè argumentum; cujus utraque præmissa falsa est.*

Addis, contra Annatum; † à vobis negari, necessitatem imponi à gratiâ vestrâ efficaci; ac proinde Calvinianam non esse. Gratulor: Jansenio valedicatis. Nihil enim à Jansenio tam inculcatum, quam libertatem soli coactioni opponi. Hinc velle, & liberè velle, idem sunt tom. 3. lib. 6. cap. 4. item nihil aliud libero repugnat, quam necessitatis violentia cap. 12. item sola necessitas coactionis adimit libertatem, non simplex necessitas cap. 6. item. ideò gratia non tollit liberum arbitrium, quia non facit ut cogatur, lib. 8. cap. 19. item nulla necessitas actibus liberis formidanda est, sed sola vis coactionis, cap. 21. item libertas solam excludit coactionis necessitatem, & sola

* Pag. 546. † Pag. 547.

. coactio-

coactionis necessitas libera voluntati repugnat cap. 38. videntur, ut à Magistro & Patriarchâ vestro discesseris? sed vereor, ut sincerè loquaris. Exspecto parumper.

Parapho 8. * Fateris remanere cum gratiâ dissentienti potestatem, scilicèt in actu primo: sed, an plenam & proximam? non puto. Adjungis enim eam vim esse gratiæ prædeterminantis, ut physicè & infallibiliter efficiat, non ut voluntas dissentire non possit, sed ut nolit. Citas in hanc rem Alvarez locum. Sed jam te monui sæpè ac sæpiùs: Thomistæ vos pro suis minimè agnoscunt. Prætereà gratiâ illa in actu primo consideratur, in quo nondum censetur esse prædeterminatio, quam actui dumtaxat secundo Thomistæ recentiores affigunt. Quare gratiam illam prædeterminantem & necessitantem in actu primo, vobis ultrò & Calvino relinquunt. Denique illa gratia prædeterminans in actu primo, necessariò, non liberè facit, ut voluntas consentiat in actu secundo, ac proinde dissentire nolit: at, si necessariò; igitur voluntas, quæ necessariò dissentire non vult, non habet plenam & proximam potestatem volendi dissentire. Frustra citas Petavium, quasi causæ vestræ patronum, cujus hostem acerrimum habuistis. Prætereà gratiam plenè sufficientem ab efficaci distinctam negatis; & frustra ad Thomistarum asylum confugitis, in quo hæreticis, quales vos estis, locus non est. Quia de hoc argumento jam supra actum est, nihil addendum puto.

Denuò asseris Paragrapho 10. † & 11. gratiæ efficacis necessitatem. Sed jam responsum est: Calvinianæ nego, Catholicæ concedo: at Janseniana cum Calvinianâ consentit. Deinde: gratia efficax est necessaria ad actum primum completum, id est, ad hoc,

* Pag. 549. † Pag. 549.

ut voluntas possit; nego: ad actum secundum, id est, ad hoc, ut re ipsa agat, concedo. Non hæreo in explicandis Thomistarum locis à te adductis *a*: hoc unum dixisse satis; vos à Thomistis repelli, ut jam sæpè dictum: præterquàm quòd, hanc controversiam de auxiliis Thomistas inter & Jesuitas vertentem, agitare non licet; quia expressè per Pontificia Decreta prohibitum. Erras tamen in eo, quod dicis *b*, nullam esse in Ecclesiâ de causâ Jansenii certam controversiam, nullamque certam hæresim. Quod certè maximè, si quid aliud, Constitutionibus Innocentii, & Alexandri, repugnat. Versas iterùm eandem molam paragrapho 12. ac dicis, Calvinii sensum de divinâ gratiâ damnari à vestris, ac proinde vos hæreticos non esse. Defenditis tamen Jansenii quinque propositiones in ejus sensu; quamvis in eo ab Ecclesia damnatas: & nihil prorsus de Calvinianâ gratiâ dicitur, quod de Iansenianâ dici non possit. Non est igitur, quòd Annatus, quòd ullus Catholicus vereatur, vos pro hæreticis habere; cùm Ecclesiæ judicio in re Fidei stare nolitis. Non est quòd Augustini, Iprensis videlicet, discipulorum errores dissimulet; & religioni ducat, servos illos, non Dei, ut dicis, sed Diaboli, cui omnes hæretici manciparunt sese, refutatis eorum erroribus infamare. Vilissimis quæstiunculis (: quinque propositiones intelligis:) turbatam ais fidelium pacem; delusam summi Pontificis æquitatem; ejusdem aures, heu nimium credulas, innumeris quotidie mendaciis oneratas. O quam Catholicè! Judæos imitaris, Willelme, qui genu flexo Christum adorare simulant, ejus sacrum os consputabant. Textus glossâ non indiget: quot verba, tot blasphemiarum. Idem urges paragrapho 13. *c* contendisque, Jansenianum sensum damnatum non esse, quia Thomisticus est, non Calvinianus

a Pag. 550. *b* Pag. 551. *c* Pag. 552.

nianus. Sed clamat Ecclesia, damnatum esse: Thomisticus autem damnatus non fuit. Dicis à vobis negari sensum Calvinianum; scilicet, nullam dari gratiam verè ac plenè sufficientem in actu primo ab efficaci distinctam; & gratiam efficacem per se in actu primo necessitatem antecedentem voluntati conciliare. Hæc negare simulas, non tamen re ipsâ negas.

Hinc Annatum, *Dialecticum senem* vocas *; & in eo *puerile argumentationis vitium* castigas. Os infrunitum! doctissimum Theologum, gravissimum auctorem, virum religiosissimum, quem optimi quique verentur, sic petulanter excipere non dubitas? vereri saltem debueras sacrum illud munus, quo tantâ moderatione defungitur. Hominem immortalis odio prosequeris, qui vestros errores eruditè & accuratè refutavit. Sed, inquis, quidam sibi persuaserunt, Iansenii sensum circa quinque Propositiones, nihil à vulgari Thomistarum doctrinâ dissidere. At Ecclesia, damnato Iansenii sensu, secus definivit. Illi ergò Ecclesiæ definitionem, in re Fidei, non admittunt: quis ergo Catholicos dicat? Sed P. Palavicinus, inquis, in manuscriptis asserit, idem cum Thomistis sentire Iansenium. Manuscripta citas; sed quo animo, satis intelligo. Quo anno tradita? millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto. Quo verò quinque Propositiones damnatae? millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio. Quo Iansenii sensus? millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo. Quid ergo ad rem manuscripta illa? quæ non modò fidem non faciunt, (quis enim ad libitum fingere non possit?) sed diu ante Constitutionem Innocentii, te attestante, scripta fuere, & totis 12. annis præcesserunt Declarationem Alexandri, quâ hic Iansenianum sensum damnavit. Standum igitur Constitutionibus; non verò dubiis manuscriptis. Rei ve-

* Pag. 553.

ritatem discutere non vacat. Sed dato, non concessio; quid inde, cum per Constitutiones Apostolicas contrarium habeatur? porro in suffragiis P. Palavicini, etiam prout à te referuntur, non invenio, quod dicis, Jansenii sensum ab illo dictum fuisse erroneum, quia Thomisticum. Impostor nequam, quâ fronte igitur hæc scribis, cum pauca folia revoluta te manifestæ imposturæ arguant? Quod addis de suffragio ejusdem propitio quartæ propositioni; infra refellam.

Paragrapho 14. eadem repetis *a* de gratiâ plenè sufficiente, quæ scilicet proximam potentiam conferat in actu primo. hæc enim non Molinæ modò, sed omnium Catholicorum est, ac proinde Thomistarum; quidquid iis perperam affingatis. Hanc autem Jansenius negat, ut fateris ultrò; in quo manifestus error, ab Ecclesia damnatus. igitur non Molinæ, ut dicis, sed Jansenii venenum timendum est: Quod dicis, legitimum Honorii sensum à Sextâ Synodo damnatum esse *b*; hæretici & schismatici hominis est. Hunc locum toties versas, ut grave & horrendum scandalum sit. Sed jam supra de Honorio dictum satis. Cavillaris deinde, & tuum illum gratiæ efficaci sensum semper obtrudis. *c* Quasi verò in gratiâ efficaci vestrâ non erretis, quæ Calvinianæ consentit; item in plenè ac verè sufficiente, quam omnes Catholici admittunt, quam tamen huc usque negastis; item in libertate, quam uni dumtaxat coactioni opponitis. Subnectis deinde Paragrapho 16. varias propositiones, seu propositionum formulas; ac postulas ab Annato *d*, ut eas expressè damnari curet. Procura tu ipse: nihil ad Annatum: cui satis fuit, quinque propositiones, ut Jansenii, & in Jansenii sensu fuisse damnatas; ac proinde eum sensum, quem præferunt;

T

Jan-

a Pag. 554. *b* Pag. 555. *c* Pag. 556. *d* Pag. 557.

Jansenianum esse; igitur erroneum. Non est de reliquo, quod Annatus curet. Si quæstionem & antiquam controversiam de Auxiliis, quæ vertitur Thomistas inter & Jesuitas, ab Ecclesia definiri tantopere cupias; procura, quantum libet: rem ingratham mihi non facies. Cæterum polliceor fore, ut meliore quam tu exemplo, definitionibus Apostolicis Jesuitæ perpetuò adhæreant, quidquid tandem definiatur.

Paragrapho 17. declamas contra Jesuitas, quorum potentia, inquis, * Jansenianos apud Rom. Pontificem, cujus gratiâ abutuntur, suspectos reddidit. Quidquid igitur ab Episcopis Galliæ 80. qui Innocentium X. consuluerunt; quidquid ab institutâ Congregatione pro 5. propositionibus discutiendis; quidquid à tribus Rom. Pontificibus, qui tot Bullas, tot Brevia, & Decreta super hâc causâ ediderunt; quidquid totâ Europâ dictum, scriptum, factum, in eâ, quæ tunc erat, controversiâ, id totum Jesuitarum gratiæ & potentiæ datum est. Extortæ igitur per fraudem Constitutiones Apostolicæ; extorta Decreta & Brevia. Cuncta hæc quasi bruta fulmina neminem feriunt: doctrina Iansenii & discipulorum integra, sana, Catholica manet, ac in æternum manebit. Sic Bullas Pontificias recipitis? sic Catholici haberi vultis? hoc reverà nugari est; fallor, petulcum potius agere sycophantam. Tum Paragraphis 19. & 20. † duo loca Iansenii adducis ex tom. 3. lib. 8. cap. 20. & 21. in quibus reverà tortuosus coluber impunè ludit. Licet enim Calvinum respuere videatur, quòd is neget, in homine mali bonique electionem esse; item nostræ electionis esse, divinæ motioni obtemperare, aut refragari; item in nostra potestate esse, benè vel malè agere &c. ibidem tamen expressè asserit, solam coactionis necessitatem libertati repugnare, quamlibet

* Pag. 558. † Pag. 560.

aliam

aliam non repugnare. Hinc, cum nulla actio voluntaria sit coacta, omnis actio voluntaria est Iansenio libera. Calvinus hoc glutire non potuit: necessitatem quidem à gratiâ illatam admisit; cum eâ tamen libertatem componere non potuit. Utrumque valentiore stomacho Iansenius concoxit; qui verbis quidem à Calvino, re tamen ipsâ cum eodem consensit. Sed cur in his hæreo, quæ sæpè ac sæpiùs discussa sunt & demonstrata? præsertim, cum obstinatio Ianseniana convinci quidem possit, non tamen vinci; demonstrari, non verò frangi. Thomistis & Tridentino Iansenium consentire dicis*: Alvaris locum in hanc rem adducis Paragrapho 21. Discutere non vacat, ne jam actum agam: Thomistas quæso interroga: omnes ad unum Iansenium respuunt: summum Pontificem interroga: Iansenium damnat, Thomistas non damnat. Igitur Iansenius Thomista non est.

Fucum deinde facis, & doctrinæ Iansenianæ obducis, Paragrapho 22. † Dicis enim, potestatem in actu primo plenissimam esse, & completissimam; ea tamen lege, ut gratia per se efficax non dependeat à scientia Dei. In actu primo, nulla præcisè gratia per se efficax est: nempe Thomistæ prædeterminationem suam in actu secundo dumtaxat collocant. Igitur Thomistæ non estis, sed Calvinistæ. Si vis Thomista esse; admitte, ut Thomistæ admittunt, prædeterminationem in actu secundo, ratione subjectio- nis causæ secundæ; idque pro omni genere actuum, pro omni naturæ statu, pro omnibus causis secundis: admitte gratiam sufficientem in actu primo, quæ potentiam proximam conferat: anathematiza cum Ec- clesiâ quinque Propositiones, ut Iansenii, & in Ian- senii sensu: si fortè respicis Jesuitarum sententiam de divinâ gratiâ, ne tamen illam erroris facilè damnes.

* Pag. 561. † Pag. 562.

Hac lege Thomista germanus eris, nec quisquam tibi negotium faceffet. Sed satis scio, hæc tibi Tuifque non placent: solo prætextis nomine fraudem; & sub Thomistarum larvâ, ac vestimentis ovium, luporum rapacitatem, errorumque fœditatem, frustra licet, obtegitis.

Paragrapho 23. Quæstionem facti *infrugiferam*, & invidiosam iterum *a* vocas. Illam tamen Ecclesia definivit; cui parendum. Loca ab Annato ex Iansenio adducta, quibus damnatæ Propositiones continentur; aded plana sunt, ut nullum dubio locum relinquunt. Vel unum Augustini locum ab Annato, ut dicis, mutilatum & fœdè corruptum, appellare debueras, ut tua calumnia meliùs pateret. Annatus artem illam adulterandi Patrum & auctorum loca, quâ mirificè valetis, vobis relinquit. Lessii doctrina, *b* quam Lovanienses notarant, auctoritatè Pontificis sana declarata est: Annatus rem narravit, ut se habuit. Paragrapho 24. eundem fugillas, quòd promissis non steterit. Quid porrò promisit? se ex Iansenio quinque Propositiones damnatas excerpturum. At quis mente sanus neget, ab eo præstitum fuisse? Doles prætereà Paragrapho 25. illas Iansenii verbis expressas, Summo Pontifici oblatas non fuisse. Erras Wilhelme: ipse Annati indiculus, turpissimi mendacii te convincit. Sed esto, Annatus promissis non steterit, quod tamen falsissimum esse nemo non videt, Ecclesia definivit esse Iansenii. At parendum Ecclesiæ: quisquis *Ecclesiam non audit*, est mihi sicut *Ethnicus & Publicanus*. Nec est, quòd volaticas, vagas, incertas illas esse dicas, *c* quæ ab Annato congestæ sunt. Debueras laudare diligentiam illius auctoris, de Ecclesiâ benè meriti; qui plura loca suggestit, quibus eadem

pro-

a Pag. 563. *b* Pag. 564. *c* Pag. 565.

propositio continetur. Desultorium denique iudicium, Annato auctori gravissimo tribuis. Hæc habitudo desultoria histrionibus & scurris, qualem te præbes, jure competit.

Nec est, quod Annato exprobres Paragrapho 26. temerè ab eo dictum, Jansenianis locis accommodari damnatarum Propositionum significatus. Quasi verò accommodatio significatu opus sit, ubi expressum & formalem habemus; ut ab Annato fusè probatum est, allatis collatisque locis. Quod dicis, * à Congregatione *de auxiliis*, Molinam Semipelagianismi damnatum fuisse; imponis primùm, tum Decretum Pontificium violas, quo interdictum est, ne quis illarum Congregationum acta citaret. Sed, qui Constitutionibus Apostolicis non pares, quomodò Decretis obtemperabis? Ecclesia Molinam absolvit, Iansenium damnavit. † Paragrapho 27. damnati sensus quinque Propositionum, sex notas recenset. Turpissima certè nota, hujusmodi Propositionibus ab Ecclesiâ iniusta est. Quid alias notas adhibes, cum prima illa optimè quadret? Vis autem illas à Pontifice indicatas fuisse; declararunt Episcopi, inquis, illum sensum esse proprium & legitimum, Augustiniano contrarium, à Baïo & Jansenio traditum. Sed hic Jansenianis Propositionibus convenit; igitur reverà damnatæ sunt, in proprio, scilicet, Iansenii sensu. Deinde constat ex Decreto Innocentii, Thomistas non esse damnatos. Rectè: igitur Ianseniani, qui damnati fuerunt, Thomistæ non sunt. Idem Innocentius declaravit, gratiam efficacem in sensu Thomistico acceptam non fuisse damnatam: nemo Catholicus id non admittat: sed efficax vestra, Thomistica non est, sed Calviniana. Denique vis, à multis Theologis

T 3

logis

* Pag. 566. † Pag. 567. & 568.

logis sensum illum defendi. De Iansenistis facile crediderim: Catholicis falsò imponis.

* Concludis demùm, ut Thraſonicè in Annatum insultes; quem impudentissimè ad novam pugnam provocas, utpotè, qui de hoc argumento jejunè scripserit, magisque ad rudem imperitorum levitatem, quam ad eruditorum iudicium. Insanum caput! Annatus, qui tam multa de hoc argumento scripsit, ac edidit, (octo saltem libros appellare possem, in quibus doctissimè pro more, rem hanc vestram discussit) jejunè scripsit? Sub finem iterùm errores tuos congeris. Negas enim, ullam hæresim esse, ullos errorum fautores, ullum Iansenii sensum satis notum: asseris frustra esse tot Bullas atque Decreta; fictitiæ hæreseos larvâ Ecclesiam jactari; videri incredibile, esse quandam hæresim, quæ nec ambigua, nec perspicuis verbis exprimi queat; quam ignorent, & qui accusant, & qui accusantur. Sic ludis Annatum, (quid Annatum dico?) Innocentium, Alexandrum, Ecclesiam. O tempora! ô mores! & vis haberi Catholicus? Hypocrita, non te pudet? nulla unquam tam vesana petulantia fuit, nusquam tam proterva audacia. nec Deum times: nec audis Ecclesiam: nec Rom. Pontificem vereris. Erit fortè, qui poenas aliquando à te repetat: ego cursim mendas indico. Sed jam supremam coronidem imponamus.

* Pag. 569. & 570.



Theo-

Theologorum Romanorum,

*In causa quinque Propositionum, suffragia,
ex quibus verus Constitutionis sensus
innotescit. **

AB hoc ultimo initium duco. Nam Pontificiæ Constitutionis sensus ex verbis ejusdem habetur, non verò ex suffragiis Consultorum: nec ipsi Consultores infallibilitatis prærogativam habent, quâ Rom. Pontifex gaudet; cùm, scilicet, in doctrinâ morum & Fidei, ex Cathedrâ aliquid omnibus Christi-fidelibus proponit. Hinc licet Consultores malè sentirent, erroris tamen vitium in Constitutionem Pontificiam minimè refunderetur. Hæc suffragia, seu vota jam antè à vobis edita, ab Ecclesiâ reprobata & damnata fuisse, ac reposita inter apocrypha, minimè ignoras; immò eodem Pontificio Decreto, quo tuæ famosæ Litteræ damnantur: autographum etiam illud fictitium & chimericum Clementis VIII, alio Decreto cum vestris libris, damnatum est. Quâ fronte igitur hujusmodi Decreta violas? fronte, inquam, plusquàm meretriciâ & hæreticâ. Fateris Rom. Pontificem declarasse, fide indigna esse: cur igitur ea publicas, si nulla iis fides habenda est? sed quid tandem aliquando publicasti, quod erroribus, calumniis, & mendaciis non scateat? quod Decretis Pontificiis, sacris Fidei dogmatis, divinis humanisque legibus contrarium esse non constet? Sed rem hanc breviter expedio: & quidem ante omnia, constanter assero, illa vota, seu suffragia esse omninò apocrypha, immò spuria, falsa, conficta, & Romanis

* A pag. 573. ad finem.

nis Theologis afficta. Sed, inquis, produco testes. Unum appellas Ill.^{mum} Montis Pessuli Episcopum: aliorum, qui ex manuscripto Romano illa excerpserunt, nomina retices. Esto; demus, excerpta fuisse ex Romano aliquo manuscripto: contendo, hoc spurium & fictum fuisse. Quis nescit, Romæ singulis hebdomadis, non obstante legum pœnarumque timore, multa hujusmodi manuscripta clàm in vulgus spargi? Quis nescit, Regestum Sacræ Congregationis, quæ rebus Fidei præest, verum esse manuscriptum, ex quo exscribi dumtaxat potuerunt? at, quis nescit, cautum esse gravissimis pœnis, atque censuris, ne hujusmodi scripta cuiquam communicentur? Sed inquis, pecunia multa extorquet. Sed vis fidem habeam iis hominibus, qui amore pecuniæ, Deo, & Rom. Pontifici, fidem suam non servant, & in gravissimas censuras incurrere non dubitant? Sed quid disputare juvat; cùm Ecclesia suffragia illa, ut apocrypha, & spuria proscripserit ac prohibuerit?

Hinc etiam concludo, quàm parum fidei habendum sit pietati vestræ, eiq̃ue, quo duci dumtaxat vos dicitis, veritatis, Christianæ observantiæ, Ecclesiasticæ disciplinæ studio; cùm apertâ fronte Decreta Pontificia tam sæpè ac facilè violetis. Sed ut tecum paulò liberaliùs agam; demus ita esse, ut dicis; ac nonnullos ex prædictis Theologis quinque illas Propositiones, quas deinde Ecclesia damnavit, suo calculo donasse: quid, amabò, indè concludis? Iansenium plures Patronos habuisse, à quibus defensus fuit, in quo sanè nullis laboribus, sumptibus, dictis, scriptisque pepercistis. At legitimum judicem habuit, errare nescium, Spiritus Sancti *assistentiâ*, ut vocant, instructum, de re totâ certiore factum: à quo Iansenius ritè damnatus est. Parum est, Willelme, Patro-

Patronos favisse, si Judex deindè puniat; parum est defendi, si defensio non sufficiat. Nescis, Theologos illos homines fuisse erroribus obnoxios? quid mirum, si aliqui errarint? quod tamen non damus. At Rom. Pontifex errare non potest, dum saltem ex Cathedrâ in doctrinâ morum & Fidei toti Ecclesiæ aliquid proponit. Sed inquis, * ex Theologorum suffragiis Constitutionem confecit. Erras Willelme. Equidem controversiam discuti mandat à Theologis, eorumque suffragia à Cardinalibus iterum discuti jubet: tum ipse omnia per se, aliosque, maturè ponderat, Divinique Spiritus infallibili ductu, deindè pronunciat. Non est igitur, quòd ex suffragiis Theologorum Constitutionem Pontificiam censeas, sed illa potius per Constitutionem corrigenda sunt. Deindè nihil de Cardinalium suffragiis dixisti, alteriusque Prælati, qui hujusmodi Congregationibus interfuit. At neminem, inquis, † tam absurdum futurum putas, ut ex iis Consultorum sententiis, Pontificiæ Constitutionis mentem indagandam esse neget. non enim, ut omnes Theologi conveniunt, Roman. Pontifex tanquam ex tripode promit oracula, sed humano modo, veritatem inquirens, doctos homines consulens, ex illorum sententia, Fidei dogmata definit. concludis denique nihil absurdius fingi posse, quàm ut Rom. Pontifex tredecim Theologis in consilium adhibitis, id hæreticum pronunciet, quod illorum omnium calculo tanquam orthodoxum comprobatum sit.

Hæc schismatici cujuscumque vox est. Quis enim Catholicus nescit, Constitutionis Pontificiæ mentem ac sensum ex iis, quibus constat formalibus, ut ajunt, verbis indagandum esse, non verò ex Consultorum suffragiis, quæ ut plurimum varia sunt. Præterea plus quàm ex tripode Rom. Pontifex oracula fundit, San-

* Pag. 573. † Pag. 576.

Etsi Spiritus *assistentiâ* munitus : & Theologis omnibus injuriam facis, quibus schismaticam illam sententiam affingis. Equidem humano modo veritatem inquirere, doctos homines consulere, & humanam diligentiam adhibere debet: at, quòd ex illorum sententiâ, Fidei dogmata definire debeat; nemo verè Catholicus dicat. Nam, si ita esset; quid opus erat, Romanum Pontificem ab octoginta Galliarum Episcopis de hac re consuli? an ipsis deerant Theologi, ex quorum sententiâ orta controversia facilè componi, ac decidì posset? Falsum est igitur, in doctrinâ morum & Fidei, ex eorum, qui errare possunt, sententiâ, Summum Pontificem pronunciare: sed iis auditis, ac re maturè discussâ, nec non Deo precibus commendatâ, ejus, à quo in his infallibiliter regitur, Spiritus ductu, atque interiore instinctu, sanctum & infallibile promit oraculum, quod ut dogma Fidei omnes Catholici admittunt. Dicam ampliùs: etsi omnium Consultorum vota Pontificiæ definitioni contraria essent, (quod tamen fieri non potest; nam in hoc casu alios Consultores adhiberet): dato tamen, quòd omnia essent contraria, nemo, nisi hæreticus, nisi schismaticus, nisi Jansenianus, definitionem illam toti Ecclesiæ ex Cathedrâ propositam respueret. Dico prætereà: si Rom. Pontifex, qui alioqui doctissimus, & totius controversiæ scientissimus esset, inconsultis Theologis, re tamen apud se maturè discussâ, sententiam pronunciaret, editâ Constitutione; peccaret fortè contra prudentiam; at edita Constitutio, in materiâ scilicet morum & Fidei, ab omnibus Catholicis admittenda esset. Apage igitur schismaticas illas voces, quæ pias & Catholicas aures offendunt; præsertim cùm in eo casu non simus; cùm illa suffragia quæ publicastis, sint apocrypha; cùm Cardinalium vota non adduxeris;

ris; cùm res eâ diligentia discussa fuerit, quâ reverà major excogitari non potest.

Dicis, * nihil absurdius fingi posse, quàm ut Rom. Pontifex id hæreticum pronunciet, quod Theologi consulti Catholicum esse censuerunt. Sed, ut hoc primò dicam, etiam juxta tuum censum, multi ex iis Propositiones damnarunt: primam absolutè quatuor; cum aliquâ restrictione etiam quatuor: totidem ferè secundam: sex absolutè tertiam; duo sub aliquâ restrictione: idem de quartâ & quintâ dictum sit. Consule tuum librum: nec enim exscribere volo, ne Pontificium Decretum violem. Dico præterea, *moraliter* fieri non posse, ut in argumento controverfo omnes Consultores ejusdem sint opinionis; quod etiam in Conciliis Generalibus sæpè accidit. Igitur fieri non potest, quin Summus Pontifex ea damnet, quæ Consultorum aliqui approbarunt. Negas fortè, Roman. Pontificem definire posse controverfiam de Auxiliis: fac, subscribat sententiæ Thomistarum, & contrariam ut hæreticam damnet: quot, amabò, Jesuitæ aliique illam defendunt? aut Jesuiticam approbet & damnet Thomisticam: quàm multi hanc huc usque propugnarunt? Nihil ergo vetat, quin Ecclesia aliquam sententiam damnet, quam multi ante Doctores Catholici, immò & Sanctissimi Patres docuissent. Dicis, Ecclesiam in Pelagii errorem à Jesuitis penè præcipitem actam. Sed Catholicum non sapit: sic pro viribus eniti vidèris, ut Ecclesiæ auctoritati & infalibilitati aliquid detrahas; totiesque id facis, ut toties refellere non vacet.

De sensu Iansenii neutiquam Romæ actum fuisse, affirmas, sed obiter. † Perditissime nebulo, eò tandem audaciæ & contumaciæ venisti? quasi verò super
propo-

* Pag. 576. † Pag. 575.

propositionibus ex Iansenio excerptis Innocentium X. Galliarum Episcopi maturâ deliberatione præviâ non consuluerint? quasi verò Romæ eâ diligentia, quâ major desiderari non posset, discussus non fuerit? Nonnulli fortè inter Consultores, propositiones in se ipsis, citra ullum auctorem, censere voluerunt; & unus fortè, vel alter Iansenium ab errore vindicare voluit: sed quid tum? nunquid deinde Innocentius Iansenii propositiones non damnavit? nunquid Alexander eadem, ut Iansenii, & in Iansenii sensu, damnatas fuisse non declaravit & definivit? His non obstantibus, dicere audes Iansenii sensum Romæ non fuisse maturè iudicatum. O ingenuam Iansenistarum fidem! ô impensam erga Patriarcham vestrum gratitudinem & charitatem! tanti vos illum facitis, ut neminem, non dico Iesuitam, Episcopum, Cardinalem, sed Rom. Pontificem ne trioboli quidem præ illo putetis. Quanta vis charitatis! ut Censuræ illum per fas & nefas subducatis, in Censuram ultrò incurritis: ut illius hæreses excusetis, novas hæreses admittitis. Sic errores erroribus defenditis. Parum fuit, vos ab illo in errorem adductos fuisse, nisi vestra contumacia illius errori accederet.

At saltem, inquis, Thomistarum doctrina per Constitutiones prædictas non parùm confirmata est. Equidem controversia de auxiliis, his definitionibus terminata non fuit. Utri verò parti plùs illæ faveant; erunt, qui dubitent. Thomisticæ, inquis. Quamobrem verò? Quia Consultores huic satis addicti erant. De nonnullis facilè concesserim: de omnibus, ut dicis, nemo erit, cui persuadeas. At demus gratis, ita esse. Non suffragiis Consultorum, sed Ecclesiæ iudicio res stetit. Quare aliis fortè, Jesuiticæ non parùm inde accessisse, videbitur. Quidquid sit, nec enim


enim quæstionem decidere vacat; certum est, ex prædictis Constitutionibus, dum quis præceptum violat, non deesse potentiam proximam, quâ servari possit; ac proinde dari gratiam verè ac plenè sufficientem, cui voluntas resistat; item omnem necessitatem antecedentem ab eâ libertate abesse, quæ ad merendum & demerendum sufficiat; item talem esse gratiam, cui voluntas obtemperare, vel obsistere ad libitum valeat. Denique satis ridiculus esse vidèris, dum negas, Romæ inter Consultores, de re ipsâ vel de aliquo dogmate disputatum esse; cum de quinque propositionibus disputatum sit. De nomine, inquis, non de re ipsâ Romæ actum fuit. Idem Calvinus & Lutherus pro suis erroribus defendendis facilè dixissent. Crediderim hos æquè fuisse hæreticos; at non æquè impudentes.


CONCLUSIO.


HÆc sunt, Willelme Wendrocki vel Paule Irenæ, quæ raptim exarata ad te mittere cogitavi. Asperiores ac duriores stylum fortè accusabis: sed excusare potiùs debueras. Mitiùs enim, seu molliùs fluere non poterat; dum in frequentes errorum tuorum salebras, & calumniarum scopulos incurreret. Si quid asperius est; tibi ac veritati imputes: tibi quidem, quem ut castigarem, castigatior stylus aptus non fuit: veritati autem, quam ut contra Janseniana mendacia defenderem, non rosis & fuco, aliisque ornamentis, sed nervis, ferro, aculeis, unguibus & rostro pugnandum fuit. Si fortè aliqua spes vestræ conversionis affulgeret, dubio procul omni, leniùs scriberem. Proba, sis: illicò accersam, quidquid

quid habet tersi nitoris, stylus; ornamenti, eloquentia; jucundi, Suada: ut tibi & panegyricum & elogium contexam. Cum Diabolis Willelme, quibus operam tuam dicasti, mitius agere non juvat. Hodie prælusi; cras scenam aperiam: faciamque, ne de meâ parcitate, jure saltem, conqueri unquam valeas. Liberalem dextram porrigo, & copiosam operam polliceor: quandoquidem Jesuiticam doctrinam ad examen vocasti, par pari referam; & quid in Scholasticâ Theologiâ, quid in Morali, quid in Mysticâ, quid in Positivâ, ut vocant, Jansenistæ vestri sentiant; non uno volumine toti orbi Christiano exponam; nisi quispiam alius præverterit. Latine scribam, quia toti Europæ scribo. Fœmineo foro, doctrinæ judicium subducendum est: ibi enim, saltem ut plurimum, blasphemii sales, & ioci heterodoxi, pluris æstimantur, quàm rationum momenta. Propediem quidquid à Jesuitis Gallicâ linguâ, justæ defensionis jure, contra errores vestros, & afflictas calumnias huc usque scriptum est; in Latinam versum mitti etiam ad te curabo: ne tu deinceps Tuique, religiosam Jesuitarum moderationem, tacitæ criminum iis à te afflictorum confessioni tribuatis. Mollius cum hæreticis agendum non est. Quandoquidem Christianum silentium Jesuitis vitio vertis; erit, qui pro illis loquatur & scribat, iis deinceps futurus auctor, ut te Librorum multitudine obruant. Interim vale, quod opto; & resipisce, quod optari quidem, sperari tamen vix potest.

F I N I S.










Lucretia Parisiorum

Lucretia nuptia homines







Stubrock
in
wentrock
E.
1584

Th

1384